Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Geo-hydrographia s. orbis terrarum descriptio - Cod. Ettenheim-Münster 111-116

5/6

urn:nbn:de:bsz:31-111178

Visual Library

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

E. M. 115

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

Suevia seu Circulus Suevicus.

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

Caput ~~Sectio~~ X.

De Suevia seu Circulo Suevico.

Suevia ampla Germaniæ provincia, et quæ Decem Imperii Germanici Circulorum unus est, limites habet versùs Orientem Bavariam, quam Lycus |: Der Lech :| annis ab ea Sejunctat; ad Austrum Tyrolim et Helvetiam, ad occidnum Alsatiam; et versùs aquilonem Palatinatum Inferiorem et Franconiam. Ejus longitudo à Septentrione ad Meridiem est 36. Milliarium, et latitudo ab Occidente ad Orientem 33. Aëre temperato et salubri gaudet. Frumenti et graminis diversi est, necnon versùs Septentrionem à Studgardia ea utraque Neccari |: Nechar :| fluminis parte usque ad confinia Palatinatûs Inferioris vinum, quod ab hoc flumine Neccarense dicitur, copiosè profert, † adsunt etiam fœni et Argenti fodinæ, necnon thermæ salubres et aëdiculæ, ut et Salinæ. Ligni et ferè ejus Silvæ abundant.

† ut et in ea illius regione, quæ Brisgoja vocatur, Basileam usque.

Fluvii illius fluvii sunt Danubius |: der Donau :| Neccarus |: der Nechar :| Lycus |: der Lech :| et Ilenus |: der Ilar :| Danubius Sueviam in duas partes dividit scilicet in Superiorem et Inferiorem; prior eas regiones complectitur, quæ ad Septentrionem Danubii versùs Bavariam Tyrolim et Helvetiam positæ sunt; posterior verò reliquas versùs Alsatiam, Palatinatum Inferiorem et Franconiam sitas continet. Ulteriùs Suevia dividitur in Imperialem seu Cæsaream, et Austriacam: hæc eas complectitur regiones, quas Domus Austriaca in eâ possidet; prior autem illas provincias et dominia, quæ à Principibus Comitibus, aliisque ~~Imperii~~ immediatis Imperii Statibus possidentur, et quibus Circulus Suevicus propriè constituitur; omnimverò ea, quæ Domus Austriacæ in hac provinciâ sunt, non ad Suevicum sed ad Austriacum, quòd alibi jam annotavimus, pertinent Circulum.

Suevia à Suevis veteribus Germaniæ populis nomen sum obtinuit. Hi, quod plerique Historiographi arbitrantur, olim sedem longiùs ad Septentrionem, in Scandia et Suecia, necnon circa Mare Balticum, quod hodiedum adhuc Mare Suevicum vocatur, habuêre, unde et fortitan Suecia ab ipsis dicta est. Nomen ipsi accepisse dicuntur à Sueve ex primis Germaniæ Regibus uno eidemque protoparente. Tacitus illius meminit, aitque tanquam Deum à Germanis habitum et cultum fuisse, à quo originem suam quandantenùs traxissent. Sunt verò, qui arbitrantur illos nomen suum habuisse à Sueve flumine, quòd hodiedum aut Spree, aut Viadrus seu Odera est, ubi nempè antiquitùs resederunt. Alii adhuc illud à voce Germanica Schwaben flutuare derivant, quòd præteris Phœniciibus dictùs hinc illinque super Mare fluctuaverint, priusquam alicubi resederint,

vel quòd famâ et virtute aliis nationibus in immensum praestiterint |: weil sie sich Vor andern Völckern weit empor geschwungen hatten :| verùm hae quinis debilis omninò videtur. Quidquid ea de re sit, certum nihilominùs est Suevos omnium Germaniae populorum potentissimos amplissimos et fortissimos fuisse, quod de ipsis Tacitus, Julius Caesar, et Orosius testatum reliquerunt. Et recenti etiamnum avo antiquam fortitudinis suae famam retinuerunt, enimverò de illis dicere solebat Imperator Rudolphus I. Habspurgius, se cum 4000. galeatorum et 40000. peditum Suevorum universum orbem perdomaturum.

Circa illorum primordia haec narrantur, scilicet: memoratum Regem Suevum, qui tertio vel quarto post universale Diluvium Saeculo vixit, atque in Phoenicia sedem habuit, nimium multiplicatis incolis, cum parte illorum navi consensa aquoréque sulcato ad maris Baltici littus appulisse, eique vicinam occupasse regionem. Soli, quod eos in optimam terrae plagam adduxisset, illum Semi-Dei loco habuerunt navimque, in qua vel ipsi omnes vel saltem ipse una cum primoribus Mare transfretasset, Diis suis velut Sacrum quid conservâsse, quod memorare videtur Tacitus dum de illis ait, quòd liburnam navim in suis Templis Diis consecrârint. Dehinc eis semper proprii Reges imperârunt, donec a Clodoveo Francorum rege devicti fuerunt, prout mox dicturi sumus.

Suevi fixis ad Mare Baltium sedibus aliorum Germaniae populorum exemplo latrocinia et praedationes retinuerunt, et cum pedes agendi eos defecisset ocasio, venatione, pecoribus et terrae fructibus vitam sustentabant. Singulis fermè annis habitationem mutabant, eamque semper ab aquilone magis versùs meridiem protendebant. Suetonius refert, Imperatorem Augustum illorum partem Rhenum versùs transtulisse; hi forte modernorum Suevorum fatores fuêre; nullum enim vestigium apud antiquos Scriptores reperitur, quòd primaeva Suevorum sedes in eâ, quae modò Suevia vocatur, regione fuerit, quin potiùs memoriâ proditum est, Vindelicos et Marcomannos, qui postmodùm Alemanni dicti fuêre, illam primitùs incoluisse, vicinoque habuisse Hermunduros, qui vel Suevi fuêre, vel posteà se ipsis permisuêre, nam Saeculo IV. Hermundorum nomen ex historiis evanuit, et Suevorum duntaxat in hac regione fit mentio, quibus hodierna Francomia usque ad Thuringiae confinia ~~adscribitur~~ etiam adscripta fuit. Igitur Suevi tandem Alemannis se se junxêre, ac una cum illis unus populus facti sunt.

Quamque Saeculo IV. Suevi se se diffuderint, indicat Jornandes de rebus, get. c. 53. ubi ait Suevos ab Oriente Bajobaros |: Bavaros :| ab Occidente Francos, à Meridie Burgundiones, et à Septentrione Thuringos habuisse vicinos.

Quamvis plerique Suevi, prout memoravimus, fines suos usque et usque proterminârint, illorum tamen plurimi antiquas sedes suas propè Albim et Oderam retinuerunt, atque Nordalbavi, Nordavi, aut etiam Nordosquevi |: Nord-Albanen seu Nord-

Sueuabor:] nuncupati fuêre. Quamplures etiam in Hispaniam profecti sunt, ibique Sedem fixerunt, prout supra l. 1. ubi nobis de Hispania sermo fuit, jam annotavimus.

Cæteri Alemannis se junxerunt, ac una cum iis unus populus effecti sunt, eâque provincias tenuerunt, quarum limites describit Jornandes mox laudatus. at Clodoveus Francorum Rex an. 496. vel 499. propè Tolbiacum [:Zülpich:] Urbem in Ducatu Juliacensi sitam prælio victos in servitutem redegit, assertis sibi iidem provinciis, quas successoribus suis reliquit. Alemanni seu Sueui quidem Francorum jugum, quod prementabantur, excutere pristinamque recuperare libertatem tentârunt, sed irrito semper conatu, ac Seculo VIII. Pipinus et ejus filius Carolomannus demùm tumultuantes ita crêgerunt in ordinem, ut deinceps quidquam movere haud valuerint.

Nihilominùs Suevia Specialis Ducatus semper manit, et usque ad Caroli M. imperium propios Duces habuit, qui sub Francorum Regum dominio et clientelâ fuerunt: verò à Carolo M. autem usque ad Conradum I. Imperatorem Sueviæ Comites duntaxat præfuerunt sub deinde Carolin- titulo Rectorum Sueviæ seu Alemanniæ. Inter eos ultimi fuêre Erchangerus et Bertholdus fratres, qui perduellionis adversùs Imperatorem Conradum I. rei ultimis affecti fuêre supplicis, tum idem Imperator Burchardum Buchornicæ Comitem Sueviæ Ducem creavit traditâ ei in feudum Imperii hac provinciâ. Illius Successores tantam deinde sibi in Germania conciliârunt autoritatem, ut Seculo XII. et XIII. eorum nonnulli clarum Imperii temerint Imperatores fuêre. Conradino Conradi IV. Imperatoris filio et Sueviæ Duce Neapoli an. 1269. 26. octobris capite truncato Rudolphus I. Imperator Habspurgico Habsburgicus an. 1282. Sueviæ Ducatum filio suo Rudolpho tradidit, tum penes Domum Habsburgicam seu Austriacam Ducatus iste aliquanto tempore perstitit; at modò illius regiones quasdam et Dominia duntaxat possidet sub titulo Principatûs Sueviæ, quem Imperator Maximilianus I. Imperator primus usurpavit, quæ quamvis in Sueviâ sita sint, non tamen ad Circulum Sueviæ sed ad Austriacum duntaxat pertinent; cæteras verò regiones et provincias tenent varii Principes, Comites, Abbates, Civitates et Nobiles, qui Circulum ipsum constituunt. Circuli hujus Nobilitas in quinque Classes seu Cagos dividitur, suntque Hegovia, Algovia, Ortenavia, Creichgovia, et Cochargovia.

Singulas has Sueviæ provincias regiones et dominia experiri primùm de iis agere placet, quibus illius Circulus constituitur, postmodùm de Sueviâ Austriacâ nobis erit sermo, quod consueta methodo variis Sectionibus et paragraphis enequimur.

Cæterùm Sueui partim Catholici partim Lutherani sunt ubique fere permixti, priores tamen numero priores prævalent. Mores illis iidem sunt ac cæteris germaniæ populis, eâque unque discrimen inter illos intercedit.

† Suntque Constantia Civitas; Provincialis Sueviæ Præfectura; quatuor Urbes Sylvaticæ, Rhenofalda, Seckinga, Lauffenburgum, Waldhusta, una cum ipsarum territoriis; Landgraviatus Nellenburgensis; Marchionatus Burgoviensis; Brisgoja; Ortenavia; Comitatus Hohenbergensis; Comitatus Brigantinus; Vallis Rhenana ante hac Comitatus Montfortensis; Comitatus Feldkirchensis; Comitatus Sonnenbergensis seu Bludenzis; quoddam ditiones nempe Ulma, Biberach, Pfullendorfensis, Munderkingensis, Riedlingensis, olim pro.

Sectio I.

De Episcopatu Augustano

Episcopatus Augustanus Algoria* Regio, si illius Ecclesiastica et Episcopalis jurisdictio spectetur, satis amplus est; eminentes confinis est ad Orientem ultra Lycum |: Lech :| flumen Episcopatibus Frisingensi et Ratisbonensi; versus meridiem Algiis.

* Algoria, Algea, et propter vicinas Alpes Algoria, ab Alemannis Alemannia propria seu Algoria dicta |: Algöw, Algow, et Algoew :| magna et spectabilis Sueviæ provincia, confinis est ad Septentrionem Danubio, ad Orientem Lycus fluminibus, ad Occidentem Hegoriæ et Lacui Constantiensi, et ad Austrum Comitatui Tyrolensi. Complectitur Marchionatum Burgaviensem, Comitatum Brigantinum et Montfortensem, Dominia Episcopi Augustani, Abbatis Campidonensis Comitatum Kuggenburgensium, Waldburgensium, Koenigseccensium et Mündelheimensem, urbesque et Abbatias quæ intrà hæc Dominia continentur.

Episcopatibus Brixinensi et Curiensi; ad Occidentem Episcopatui Constantiensi, à quo Flenus illum |: Ilor :| fluvius separat; et versùs Septentrionem trans Danubium Episcopatibus Herbipolensi et Eichstadiensi. Quantum verò illius temporalem jurisdictionem seu dominium spectat, limites habet ad orientem Bavariam et Tyrolim, à quibus Lycus distinguitur; ad meridiem, ubi popè Lycum scaturiginem desinit in supidem Comitatum Brigantinum et demùm Tyrolim; ad Occidentem Comitatus Brigantinum et ~~Kuenipfarensem~~ Rotenfelsæ Koenigseccensem |: Königseck-Rotenfels :| Principatum Campidonensem, Dominique Mindelheimense, et Burgoviam; ad Septentrionem denique eandem Burgoviam, et Bavariam.

Circà hujus Episcopatûs originem communis est opinio Episcopum quendam Narissum nomine unà cum Diacono suo Felice, qui postmodùm ambo in Hispania Martyrii coronam sunt adepti, illius fundamenta jecisse: hi enim, prout narratur, an. Chr. 302. in persecutione Diocletiani Imperatoris Augustam delati apud mulierem Afram nomine Cypro Insulâ oriundam et meretricio quæstu viventem diverterunt; eámque cum totâ domo suâ ad fidem Christi adduxerunt, neenon Eozinum Afræ armentium, priùs baptizatum et in Baptismo Dionysium mutatum, hujus urbis primum constituerunt Episcopum. Sunt tamen alii, inter quos Marus Velserus*, qui huic Dionysio longè posteriorem tribuunt ætatem, contendúntque ante ejusdem Lucium quendam hîc fidem Christi annuntiasse, quæ postmodùm penè extincta, aut saltem ethnicis abominationibus adeò fœdata fuerit, ut S. Columbanus ejusque discipulus S. Gallus, qui circà annum Domini 600. venientes in hac plaga Evangelium prædicârunt, labores minimè novos invenerint; tùmque Sozimum qui et Dionysius dictus est, circa an. 608. primum Augustanæ Civitatis Episcopum fuisse designatum.

* Velserus |: Marus :| nunc creditus perhibetur 20. Junii 1598. ex nobili et veteri Augustanâ familiâ, quæ à Belisario Justiniani Imperatoris Belidruce ortum trahere dicitur. Fuit vir apprimè eruditus et celebris Antiquarius, necnon Studiorum promotor haud vulgaris. vivere desiit 23. Junii an. 1614. Scripsit Rerum Augustanarum Commentarios, Annales Bojorum; Baptisterium S. Afræ; Vitam S. Udalrici; Fragmenta Tabulæ antiquæ; Epistolas, &c.

In Episcopatu Augustano octodecim numerantur Abbatiæ, novem Monialium Monasteria; novem Præposituræ; et quadraginta et una Decaniæ seu Capitula Ruralia, quæ mille Parochias complectuntur.

Notantur hîc

1° Augusta Vindelicorum seu Augusta Rhetorum |: Augsburg :| Magna et libera Imperii germanici Civitas, Sedésque Episcopi sub Metropolitâ Moguntino, sita in ultimis versùs Bavariam Sueviæ finibus in colle amœno Lycum |: Lech :| inter et Vertachum, antiquitùs Vindonem |: Wertach :| fluvios, à quibus Vind nomen trahere videtur, miliari ad orientem à Friedbergâ Bavariæ urbe; et 8. ad Occasum à Monaco sub gr. long. 30. m. 46. lat. 48. m. 24. Aëre salubri gaudet, solúmque ejus jucundum et fertile est adeò, ut omnibus ad commodam

vitam comparatis abundet, si vinum excipias. Illam circumdant ampla vireta, planities pulchre, necnon silvæ spectabiles feris quadrupedibus et pomariis repleta. Proximè ad Urbem viri solum irrigant, ubi horti magnifici et ædes voluptariæ ornarunt.

Quantùm ad ejus originem ipsi cana ætas attribuitur. Metropolis fuit Licatiorum inter Vindelicos populorum, ac initio Licatiorum Damasia nuncupata fuit. Verùm, quod Zeillerus* refert, ix. circiter annis x. mensibus et xy. diebus [:nah! quam exactus computus:] antè Christi ortum illam occupaverunt Romani, deductaque in eam suorum colonia ab Augusto Augustam dixerunt, ac ut à pluribus aliis urbibus, quæ hoc etiam nomine veniebant, distinguerentur, illi Vindelicorum** nomen additum fuit, quod ad hunc usque diem retinet. Tum 460. circiter annis sub Romanorum et Gothorum potestate fuit. An. 451. Attila Hunnorum Rex illam penè exuit; postmodùm restaurata est, necnon Suevis et Alemannis paruit usque ad annum 496. vel 499. quo eos Clodoveus rapto Tolbiacum devicit, atque omnem eorum regionem sibi asseruit, in qua etiam Augusta fuit; hæc ergo sub potestate Francorum permansit, et Austrasiæ Regno subjecta fuit. Postquam autem Regnum Francorum divisum est, germanique proprios Reges habere cœpit et Dominos, tùm Augusta, quod aliqui contendunt, in Suevia Ducum potestatem venit, sub qua fuit usque ad tempora Conradini, à quo pecuniarum summa libertatem sibi redemit: Sunt tamen, qui volunt, Civitatem hanc nunquam sub Suevia Ducum dominio fuisse, sed immediatè sub Imperatoribus stetisse, necnon à præcipuis suis familiis gubernatam fuisse.

Augusta equidem nonnihil antiqui splendoris sui amisisse videtur, nec amplius tot molis frequens est ac olim fuit; attamen adhuc pulcherrimis et amplissimis Germaniæ Civitatibus annumerari meretur. Exiguus Lyci ramus à eo deductus illam perfluit, cujus aqua limpida est et emollens. Plateæ ejus latæ sunt et aquabiles, in iis offenduntur fontes præclaris ærei Statuis ornati. Domos habet pulchras; ac inter publica ædificia eminent Basilica civilis seu Prætorium et Armamentarium tormentis aliisque bellicæ apparatûs probè instructum. Adest etiam palatium Episcopale, in quo ostenditur conclave illud, in quo Augustana Confessio Imperatori Carolo V. an. 1530. oblata fuit, et et pergula, à qua populo in aream palatii congregato prælecta est, et à qua Lutherani communiter Confessionis Augustanæ Sectatores [:der Augsburgischen Confession Verwandte:] nuncupantur.

Augusta plura numerantur utriusque sexûs Monasteria, ut Benedictinum apud SS. Udalricum et Afram initio à Canonicis inhabitatum, quibus à regulari tramite desciscentibus Bruno Episcopus Religiosos Ordinis S. Benedicti anno circiter 1012. suffecit. Dominicanorum. Canonicorum Regularium ad S. Georgium; et aliud ad S. Crucem dictum, in quo jam ab anno 1194. asservatur Sanctissimum Altaris miraculosum, ut vocatur, Sacramentum sub sanguineâ carnis specie. Carmelitarum Discalceatorum, Ordinis S. Francisci Recollectorum.

* Zeillerus [:Martinus:] Styrius orundus filius Martini Zeilleri Philippi Melanchtonis discipuli Ulmæ Ephori fuit Gymnasii, Historicorum et Philosophicorum librorum Censor, ut et Inspector Scholæ Germanicæ. vitam posuit an. 1661. ætatis suæ anno 73. Scripsit varia Itineraria, Topographias, aliàque cum Historica tum Geographica Opera.

** Vindelicii Illyrii populi, qui juxtà Danubium ab illius scaturigine Cassiopiam usque sedes suas protulêre, necnon in varias nationes divisi fuerunt, inter quas numerabantur Licatii, qui propè Lycum fluvium habitabant. Vindelicios a Vindone et Lyco fluviis nomen fuisse inditum arbitramur.

Capucinorum, p. S. Catharinæ Monialium Ordinis S. Dominici. Stellæ seu ad Stellam Monialium S. Claræ. S. Stephani primùm Monialium ordinis S. Benedicti, posteà in Collegium Nobilium Canonissarum abbisso fundatore S. Udalrico versum. Ursulinarum. p. Jesuitæ hîc quoque habent celebre Collegium.

Præter Capitulum Cathedrale Augustæ etiam numerantur quædam Collegia Canonicorum Sæcularium, ut S. Gertrudis, quod constituunt Præpositus et quatuor Canonici in ipsa Ecclesia Cathedrali. S. Mauritii, et S. Petri. Olim adhuc Augustæ fuêre utriusque Sexûs Cœnobia, quos tamen Lutheranismus resumsit. Inter Civitatis hujus Ecclesias eminere videtur ea, quæ Benedictinorum est, hæcque Cathedralem magnitudine et elegantia superat. Lutherani quoque sua Templa habent. Nec desunt Nosocomia. Adest etiam publica Bibliotheca in quam Marci Velseri translata fuit: ex eâ prodiit famosa Peutingeri Tabula, de qua alibi jam egimus, quæ etiam Tabula Augustana; Tabula Theodosiana, quod eruditi arbitrentur cum sub Imperatore Theodosio confectam fuisse; et Tabula militaris, quia viæ militares et distantiæ in illa notantur, communiter vocatur.

Civitatis hujus eventa hæc sunt præcipua: Sub Imperatore Ottone Magno, quæ ab an. 963. usque ad an. 973. quo 7. Maji è vivis excessit, Imperii Germanici rebus profuit, à Seditionis divepta, ignéque et ferro devastata fuit. An. 1026. Guelphus Bavariæ Dux cum Bononе illius Episcopo bellum gerens illam reparavit ac munimentis nudavit. An. 1077. Rudolphus Suevia Dux in ea cum suis adhærentibus conventum habuit adversùs Imperatorem Henricum IV. unde et ipsa in bello, quod secutum est, variè fuit afflicta, et an. 1084. à Leopoldo Austriaco et Hermanno Suevia Duce occupata et expilata fuit, nec non quatuor post annis Guelphus Bavariæ Dux illam non modò incendit, sed et adibus muriisque diruit, solo æquavit. Sub Imperatore Lothario II. anno 1131. vel 1132. penè in flammas abiit; at mox restaurata est, ac sub ejus Successoribus Conrado III. et Friderico I. apprimè floruit. An. 1368. sub Carolo IV. Imperatore Civitas adversùs Magistratum, quem Nobiles seu Patritii componebant, tumultu Democratiam induxerunt, quam idem Imperator confirmavit, post 180. annos verò Carolus V. Imperator abrogavit, urbisque regimen Patritiis seu Nobilibus peremptum an. 1548. embanatum denuò restituit.

Anno 1523. Joannes Speiserus Theologiæ Doctor Lutheri dogmata in magna populi frequentia disseminare cepit, sed denuò ad fidem Catholicam conversus an. 1525. cœpit Joannes Frosehius Carmelitarum Prior et Lutheri amicus. An. 1530. Caroli Imperatoris V. jussu omnes Lutherani Augustâ exacti sunt, quò tamen anno sequenti redierunt, tandemque an. 1534. communi suorum decreto Lutheranismus confirmatus Missæque celebrare in omnibus Ecclesiis inhibitum fuit, tum Catholici collectis Ecclesiarum suarum thesauris et reliquiis Dillingam se contulerunt, quibus primùm an. 1552. redeundi facultas data est. An. 1535. pestis Augustæ sævit, qua 13000 incolarum perierunt. An. 1584. auctoribus Georgio

Nylio Superintendente et cæteris Præconibus Lutheranis ingentes turbas excitaverunt Cives Lutherani occasione Calendarii auctoritate Gregorii XIII. Papæ emendati, quòd idem à Magistratu propositum fuisse rescirent, quæ tamen interventu Ducis Wirtenbergici et Urbis Ulmensis sopita fuerunt, novumque Papæ Calendarium admissum, quod ab ipso Gregorianum dicitur.

Anno 1632. Cives Lutherani Regem Sueciæ rarâ cultu et applausu susceperunt, Catholici verò solum vertêrunt; at duobus post annis scilicet an. 1634. Dux Bavariæ post longam obsidionem, in qua cives extrema fame pressi fuerunt adeò, ut eborum loco rebus vescerentur, à quibus alias natura abhorret, idem obtinuit, tùmque anno 1635. Catholici demùm in eam revocati. an. 1703. 14. Decembris post gravem quinque dierum obsidionem, ubi 36. ~~torrentis globis~~ majoribus æneis tormentis pulsata, igneisque globis immensa facta, Electori Bavariæ Maximiliano se dedere atque centum millia florenorum solvere debuit; nec tamen hîc finis malorum fuit, enimverò ingens pecuniarum vis demùm imperata, tormenta universique, qui in illius armamentario continebantur, bellicus apparatus, et quæque asportari poterant, Monachium et Ingolstadium abducta, munitiones et muri diruti, necnon Arx, seu, ut vocant, Citadella, qua Cives in officio continerentur, constructioni datum initium. at ubi an. 1704. 13. Augusti Cæsarei et eorum Fœderati Bavaros et Gallos prope Hochstadium fudissent; tum Bavari relicta Augusta fugam capessierunt, sicque Arcis ædificium manet imperfectum.

Ex variis, quæ Augustæ habita sunt Imperii comitia, hæc à nobis notari merentur: An. 1530. in quibus Carolo V. Imperatori oblata fuit Confessio Augustana. An. 1548. ubi de libro Interim* dicto actum est. An. 1555. ubi pax religiosa concluса fuit et Conventio Passaviensis confirmata. An. 1653. 31. Maji ubi Ferdinandus IV. Ferdinandi III. Imperatoris filius in Romanum Regem electus fuit. An. 1690. ubi 24. Jan. Josephus I. Leopoldi I. Imperatoris filius in Regem Romanum electus fuit, et 26. ejusdem mensis coronatus fuit. Eodem quoque anno Eleonora Magdalena Theresia Leopoldi Imperatoris conjux etiam hîc in Romanorum Imperatricem coronata fuit. Augustæ etiam circà idem tempus celebre fœdus inter præcipuos Europæ Principes ictum fuit adversùs Ludovicum XIV. Galliæ Regem, quippe cujus prægrandis potentia cæteris præsertim vicinis suis terorem incutiebat. An. 1713. Magnus Imperii Conventus ob pestem Ratisbonæ grassantem inde hùc translatus fuit, ubi usque ad finem anni sequentis mansit.

Cives Augustani à Comitate pro cæteris Germaniæ Urbium moris celebratur. Senes eleganti forma præditus modesto incedit vestitu. Partim Lutherana et partim Catholica Sacra sequuntur, ut et Senatus, quem 48. Patritii seu Nobiles constituunt, quorum 22. Protestantes sunt, et 23. Catholici. Idi amplior adhuc Senatus, jungitur ex 260. viris constatus, qui partim Patritii et partim Plebeji sunt, at omni caret auctoritate, ac ideò duntaxat

* liber Interim fuit formulare aliquod quondam fidei Christianæ articulos complectens Augustæ Vindelicorum an. 1548. ab Imperatore Carolo V. in Comitiis promulgatum, cui ut Protestantes se submitterent, præcipiebat. Interim nuncupatum est, quia ad tempus duntaxat valere debebat, donec scilicet Concilium generale Religionis dissidia definitione suâ componeret. Omnia fidei Catholicæ dogmata comprehendebat, excepto, quòd Protestantibus Ministris Matrimonium, et Laïcis communionem sub utraque specie permitteret. Idem improbavit Paulus Papa III. plerique Protestantes, imò omnes præter quosdam Civitates Imperiales, quas Im-

peratoris nimia temeritas, haud aucpt âvunt.

Senatûs nomen gerit, ut nempe Civitas hæc Reipublicæ cujusdam Speciem exhibeat.

Augustæ Vindelicorum artes mechanicæ ad summam perfectionem ab Opificibus adductæ videntur. Auri et Argenti necnon Automatarii fabri, necnon Eborarii tornatores apprimè celebrantur; priorum artefacta aurea et argentea in omnes Europæ provincias transferuntur ita, ut nè in illa Principes sit, qui ea sibi ad unum non comparet. Inter subtilia opera, quæ ibidem confiiuntur, recenseri merentur exigua catenula, quibus pulices constringuntur; hujusmodi catenula longitudine sua manûs latitudinem æquat nec̃ subtilis tamen et levis, ut pulex saltando eandem secum trahat: animadvertum hoc unâ cum sua catenula pro 15. Cruciferis venumdit.

Gossypia tela hîc confiiuntur longè latèque celebris: Item variorum textilium Bombycinorum ex Italia advectorum frequens et commercium.

Per sex portas in eam patet additus, eique duo ampla junguntur Suburbia, S. Georgii unum alterum S. Jacobi, in isto sita est Fuggeria plus quàm 400. domibus constans ac eique cujusdam Urbis formam exhibens; nomen habet à Fuggeris fratribus, à quibus exstructa fuit.

Num Augusta olim Episcopis etiam quoad temporale subdita fuerit nunc, et qua ratione ab eorum dominio sit liberata, varia sunt eruditorum opiniones. Hodiedum adhuc Civitatis hujus regimen positum esse videtur inter Episcopum, Senatum, et quosdam Nobiles; memoriâ quoque proditum est Episcopum olim in strictos hujus Civitatis limites habuisse jurisdictionem, quam an. 1272. Magistratui cæsit; hi postmodùm Urbe finesi sunt excesse, modò milliari abea demorantur, illam quidem intrare permittuntur, sed singulis, quibus in ea remorantur, horis florenum solvere tenentur. Hæc in laudem Augustanæ Civitatis ejusque Incolarum nuper cecinit Poëta quidam:

Augusta sunt hæc omnia et inclyta,
Quæcunque cernis; Templa, Domus, Fora,
Turres et Horti, Portiumque
Mœnia, et Hospitia, et Taberna.
Augustior Respublica nobilis
Virtute præstans et Sapientia:
Formis puellarum, virûmque
Mitibus ingeniis abundans.

2º Dillinga |: Dillingen :| Urbs ærâ cum Castello ad Danubium posita milliari à Euro-Aquilonem à Lavinga, 3. ad Septentrionem à Burgovia, et 6. ad Eurum ab Augusta, sub grad. long. 29. m. ic. lat. 48. m. 38. Ordinaria Episcoporum Augustanorum Sedes. 9 Anno 1549. Otto Truchsesius |: Truchsess Dapifer :| de Waldburgo Episcopus Augustanus in hac Urbe Universitatem erexit, quæ nunc admodùm floret, atque an. 1739. quibusdam novis Professoribus aucta fuit. An. 1649. Episcopus Augustanus in præsentia quorundam Principum fundamentalem Caminorum Cœnobii lapidem posuit. Jesuita hîc magnificum habent Collegium. Cæterùm in triginta annorum bello Urbs hæc anno 1545. nota facta fuit.

9 Eam Hartmannus Episcopus Augustanus Hartmanni Comitis Dillingensis filius et Stirpis hujus ultimus an. 1285. Episcopatui suo donavit una cum omnibus fere pagis Wedaam usque.

3°. Friesa (Fuesa) seu Fraus |: Fiessen seu Füssen :| urbs exigua in Alpium Julianarum* seu Rhaticarum faucibus, unde et nomen habet, sita adripam Lycifluminis, quod ibi inter rupes angusto loco quasi per fauces transit, in confiniis Bavariæ et Tyrolis, 5. milliaribus ad orientem à Campidano. Nonnulli arbitrantur eam esse Abudiacum veterum, quod Tabula Peutingeri Segmento II. Abodiacum vocat, atque 18000. passuum, id est 4. milliariis cum dimidio ab Ereo cum Schongavia seu Scongau |: Schongau :| Superioris Bavariæ urbe, ui est occidentalis, collocat. Hæc iter est à Sueuia in Bavariam et Tyrolim.

In hac urbe extat celebre et antiquissimum Benedictinorum Cœnobium S. Magni dictum, ab eodem S. Magno seu Magnoaldo ex Hibernia oriundo et SS. Columbani et Galli socio circa annum Domini, ut verisimilior est opinio, 646. fundatum. Adest etiam Franciscanorum Discalceatorum seu Recollectorum Conventus an. 1629. ab Henrico de Knöringen Antistite Augustano in honorem S. Stephani excitatus. Jesuitæ hîc etiam habuerunt Collegium, quod an. 1627. Kaufburam translatum fuit.

Non procul ab Urbe oriuntur Thermæ Julbachenses à Julio Cæsare, quòd iisdem usus fuisse dicatur, nunc pertinentes ad ditionis Monasterii S. Magni, et salubres admodùm, ut quæ varias corporum malè affectorum infirmitates, tollant.

Reliqua, quæ in regione suâ possidet Episcopus Augustanus, hîc annotare prætermittimus, quod de iis quid quam memorabile dicendum haud veniat. Superiùs illius Principatûs limites recensuimus, quod nobis sufficere videtur. Augustam Vindelicorum hîc etiam primo loco annotavimus, non velut Episcopi hujus ditionis sedes, quamvis olim illius fuisse ab aliquibus dicatur, sed quòd de celebri hac Civitate hîc quàm alibi dissevere commodius nobis visum sit.

* Alpes Julias, à Julio Cæsare nomen sortitæ triplices sunt: prima apud Taurinos; altera in Rhætia; tertia apud Venetos.

Sectio II.

De Regionibus et Dominiis, quæ in Risa seu Rhætiensi pago occurrunt.

Risa seu Rhætiensis pagus |: Riess seu Im Riess :| vetus pagus |: ~~Gau im Alten Gau~~ :| est in ~~Nordgavia~~ Nordgau |: Alter Gau in dem Nordgau :| in Franconiæ confiniis situs, qui olim, si non totus, saltem ex parte Nordgaviæ annexus fuit. In eo præcipuè numerantur Comitatus seu Dynastia Gravenecensis |: Grafeneck :| Comitatus Pappenheimensis; Comitatus seu Principatus Oettingensis, quæ quædam Urbes Imperiales et Monasteria continentur. De quibus hîc agere animus est.

§. I.

De Comitatibus Gravenecensi et Pappenheimensi.

Comitatus Gravenecensis |: die Grafschaft Grafeneck :| situs est ad Danubium Nordlingam inter et Dillingam. In eo occurrit Eglinga |: Eglingen :| Urbs exigua, in qua Comites residere solitifuere. Hæc titulo emtionis modò pertinet ad Principem de Taxe et Taxis |: Fürst von Thurn und Ta-

cis:/ Supremum in Imperio et Belg. Belgis Veredariorum Magistrum ab an. 1723.

Comitatus Pappenheimensis /: die Grafschaft Pappenheim:/ confinis est ad Orientem et Septentrionem Franconiæ, ad Occidentem Comitatui seu Principatui Oettingensi; et ad Austrum Ducatui Neoburgico. Hîc notatur Pappenheimium urbs exigua et Comitatûs, cui nomen tribuit, Metropolis in Franconiâ confinii et tractu Hanenkamiensi /: Hahnenkamm:/ adriena Alamani, seu Altmonis, item Altmola, et Altmonii /: Altmühl:/ fluvii sita. An. 1633. Sueci illam obsederunt ac brevi obtinuerunt, postquam præsidiarii se in Arcem recepserant, quam et post strenuam defensionem, obtento discessu libero, eisdem tradiderunt. Duobus post annis Cæsarei Sueos denuò ex ea pepulerunt.

Ad Comites Pappenheimenses etiam pertinet Dominium Westingense situm trans Danubium et ad ejus dexteram ripam in Risa seu Rhoetia Trans-Danubiana, ubi occurrit Westinga /: Westingen:/ urbs parva cum arce 3. miliariis ad Orientem à Dillinga et 2. ad Austrum a Werdea seu Donavertia.

Ad eos quoque pertinet Arx et ditio Rotensteiniensis posita ad Ilerum /: Iller:/ flumen Comitatum Reckenbergensem inter et Principatum Campidonensem; q Comites Pappenheimenses sunt Hereditarii Imperii Germaniæ Mareschalli, qua dignitas Seniori familiæ semper competit.

q verùm ab an. 1692. Principi Monasterii Campidonensi adjecta fuit

Miliari et dimidio à Pappenhemio in Saralefeldia /: Sulzaronfeld:/ versùs Caurum occurrit Heidenheimium urbs Marchioni Onoldino /: Marggrafen von Onolzbach seu Ansbach:/ subdita. Primitus fuit hîc Monasterium Benedictinum a S. Wunibaldo S. Richardi Anglorum Regis filio, et S. Willibaldi primi Aystettensis Episcopi necnon S. Walpurgis Virginis et Abbatissæ fratre conditum an. chr. 750. in quo ipse primus Abbas fuit. Initio hic vastus omninò erat, necnon spinetis ac dumetis horridus, multoque labore fuit opus, ut aptus fieret, in quo Monasterium construi valeret. Acitis dein hinc et illinc viris doctis et ad Infidelium conversionem apprimè comparatis, in illo cum ipsis Monasticam vitam sub Regulâ S. Benedicti cœpit agere vitam; cumque postmodùm religionis et devotionis causa undique huc confluerent fideles, domóque sibi ædificarent, tandem locus in urbem crevit, quæ ab Ethnicorum regno ad fidem conversis nomine Heidnheim, id est, Ethnicorum patria nuncupata est, quod vocabulum Latinè Heidenhemium redditum fuit.

Mortuo S. Wunibaldo S. Willibaldus ejus frater Sororem suam S. Walpurgam Monasterio, in quo et Moniales, separatim tamen à Monachis, erant, præfecit, ubi ipsa 16. annorum spatio nempè usque ad obitum suum, qui an. 777. accidit, laudabiliter præfuit. Tum Gerolus S. Willibaldi in Episcopatu Aychstadiensi Successor, Monachis exturbatis Canonicos Regn. Sæculares substituit. At Gebardus II. vigesimus Secundus Aychstadiensis Episcopus an. 1125. electus annuente Summo Pontifice Eugenio III. ejectis Sæcularibus Sacerdotibus Monachis denuò tradidit incolendum, aut saltem /: prout quibusdam Scriptoribus placet:/ dum tradere pararet, morte /: qua-

an. 1148. evenit, præventus fuit: ejus Successor Burchardus Monachos denuò extumbavit, vel potiùs quidam volunt, piam prædecessoris sui intentionem Eugenii III. Papæ justa contemnens Canonicos Saulares retinuit; sed eo ab Eugenio Papa exauctorato an. 1153. exauctorato, sub Conrado Illius Successore Benedictini pulsis Sacerdotibus Saularibus reduti fuêre, quos tandem Saulo XVI. Lutheranismus ejecit, Monasteriúmque unà cum suis prædiis Marchionis Onolzbini fisco adjecit.

§. II.

De Comitatu seu Principatu Oettingensi, necnon Urbibus et Monasteriis, quæ in illius tractu occurrunt.

Comitatus seu Principatus Oettingensis |: die Grafschaft oder Fürstenthum Oetting:| limites habet ad Septentrionem et orientem Franconiam; ad Meridiem Ducatum Neoburgicum, et ad Occidentem Ducatum Würtenbergicum. Ejus longitudo est circiter 8. latitudo verò 4. milliarium, et ambitus 20. Inter Comites Oettingenses quondam Alsatia Landgrafios fuisse memoriâ proditum est, quando autem hac dignitate fulserint, incertum. Bina sunt illorum primaria familia Oettingensis nempè seu Principalis, et Wallersteinensis Comitiva duntaxat: hæ iterùm dividuntur in tres collaterales Stipes Spilbergensem silicet Waldersteinensem propriam, et Baldernansem. Familia Principalis seu Oettingensis Septem totius Comitatûs partes possidet, reliquæ verò quinque duntaxat. ubi an. 1731. ultimus Oettingensis Princeps Albertus Ernestus II. è vivis excessit, harum ditionum heredem testamento reliquit Antonium Carolum ex juniori Wallersteinensi Comitiva Stirpe, quarum ipse statim possessionem apprehendit, sibique à subditis fidei juramentum seu, ut ajunt, homagium præstari curavit. Testamentum hoc agrè ferentes Franciscus Albertus Spilbergensis velut post demortuum Principem Senior familiæ, et Carolus Antonius Wilhelmus Baldernensis Comites, idque ut pactorum gentilitiorum an. 1722. inter prædecessores suos et eorum initum facere conati sunt, duxáque ad Imperatorem Carolum VI. delatâ lite in hereditatis suæ possessione confirmatus est, Actores autem ad petitorium remissi, quod fortè adhuc prosequuntur. Interim familia Spilbergensis an. 1734. ab eodem Imperatore Principali dignitate aucta fuit. Notantur hîc

1ò. Oettinga seu Ottinga et Oetinga |: Oetting, Oetingen, et Oeting:| Metropolis totius Comitatûs, à qua et ipse nomen habet, urbs in confiniis Franconiæ ad Vernum |: Wornitz:| flumen posita 2. milliariis ad Septentrionem à Nordlinga, et 9. ad Austrum à Norimberga. In ea residere solet Princeps Oettingensis. Cives partim Catholici partim Lutherani sacra colunt. Jesuitæ hîc habent residentiam ab an. 1648.

2ò. Spilberga |: Spirlberg:| Castrum cum Dynastia in monte positum 3. milliariis ad Euro-Aquilonem Metenam ab Oettingâ, duobus ad Orientem à Trudinga Inferiore, et uno ad Septentrionem ab Heidenheimio. Olim Castrum hoc Do-

nus natalis fuit Baronum Spilbergensium, sed an. 1493. ad familiam Oettingensem pervenit, penes quam haetenus permansit, cujus et nomen gerit. An. 1734. quod primum annotavimus, Comes Spilbergensis ab Imperatore Carolo VI. Romani Imperii Princeps declaratus fuit.

3º Wallersteinium |: Wallorstein, seu Waldorstein, aliàs etiam, sed malè, Waldenstein :| urbs cum Castro et Dynastia inter Oettingam, Nordlingam et Boffingam urbes ~~positus~~ ad Egram |: Egr :| fluvii ripam in colle posita. Castrum Sueci an. 1648. exiderunt, quod postmodum restauratum fuit. Ab hac urbe ramus Comitiva Oettingensis prosapia nomen trahit, cujus caput modò Princeps Oettingensis est.

4º Baldernum |: Baldron seu Hoffen-Baldron :| Castrum cum Dynastia Elvangam inter et Nördlingam milliaris quadrante à Saturnigine Jaxtâ |: Jagst seu Jaufft :| fluvii positum. Abeo tertia Oettingensium Comitum prosapia nomen habet. Ad eandem pertinet quoque Katzenstenium |: Ratzenstein :| vetus Castrum Nordlingam inter et Dillingam in monte positum. An. 1737. vulgatum fuit in eo magnum recondi thesaurum, quem Lamiæ custodirent. Hinc aucti Capucinus quidam, qui immitis hos custodes experirent: post diutinos hujus boni viri labores et artis hua experimenta, variosque passus rumores et fabulas, tandem cæmentia lemurum vestigia prodiisse dicuntur.

5º Boffinga |: Boffingen seu Boffingen :| urbs libera Imperialis ad Egram |: Egr :| flavium in solo fertili sita 2. miliariis ad occidentem à Nordlinga, et totidem ad Austrum à Dinkelbula. ovalem figuram refert, et undique montibus cingitur. Cives Lutheri dogmata sectantur.

6º Nordlinga, Norlinga, et Nerolinga |: Nördlingen, Nörlingen et Nerolingen :| spectabilis, vetustissima et libera Imperii urbs sita ad Egram fluvium, qui illam magno lanificum, coriariorum, et tinctorum commodo et utilitate perfluit, et fermè in ~~Imperiorum~~ Regi Rhætiensis centro, necnon in fertili et pascuis abundante solo 1½ miliari ad Austrum ab Oettinga, sub gradu long. 32. m. 30. lat. 48. m. 49.

Quidam illius nomen derivant à Tiberio Nerone, qui sub Imperatore Augusto adversus Vindelicios Castra hîc metatus ~~est~~ fuisse, ubique fundamenta 13. ante Christum annis jecisse dicitur. At alii à ~~—~~ vicina Nördgovia Nordlingam vocatam fuisse volunt. Alii iterùm nomen illius deducunt à Nobili quadam Nordlingorum prosapia, qui in Nördgovia commorantes junctis habitationibus suis Urbem fecerunt. Sunt etiam qui putant illam Aras Flavias seu Flavianos dictam fuisse ab Aris, quos ibidem Flavius Vespasianus circà an. Chr. 72. consecravit. Rotundam figuram exhibet, ejusque interior ambitus ad 3100. exterior verò ad 9395. passus porrigitur. Antiquitùs non eo, quo nunc est, loco stetit, sed partim in monte et partim in ejus clivo ad Egram fluvium usque protenso sita erat: ubi autem an. 1238. una cum Tabulario suo, seu, ut vocant, Archivo tota exceptis duntaxat 16. domibus incendio periisset, tum in valle, in qua modò extat, reædificata fuit.

Ex documentis fide dignis habetur Urbem hanc Seculo IX. ad quandam Nobilem Matronam, cui nomen Windpura erat, patrimisse, quam ipsa opitulante filio suo Suentopulco ab Arnulpho Imperatore obtinuit, ac postmodùm pro Wembdinga cum Episcopo Ratisbonensi permutavit, sub cujus dominio aliquamdiu stetit, donec tandem an. 1000. abipsius potestate liberata immediatè subjecta fuit Imperio, tum ei Imperatores Præfectos dederunt, quos deinde Imperator Ludovicus Bavarus an. 1327. retulit, urbisque regimen Scabinis illius Magistratui reliquit.

Excelsis moenibus validisturribus et propugnaculis ad ritum antiquum comparatis instructa est. In successionis Hispanica bello aliquot munimentis aucta fuit, quò Coalorum Francorum et Suevici quodammodò propugnaculum esset adversùs Gallos et Bavaros.

Adeam per quinque portas aditus patet. In illa quæ videri merentur Ecclesia S. Maria Magdalenæ, cujus fornicem 22. columnæ sustentant, et Ecclesia S. Georgii, cujus campanile inter altissima totius germaniæ campanilia reputatur, item Armamentarium, Basilica civilis, et Nosocomium, p. Olim in ea etiam fuit P. P. Minorum Recollectorum Conventus, quem Lutheranismus, qui jam an. 1520. à Civibus adoptatus fuit, abolevit, atque in horreum converti fecit. Utut urbs hæc Lutheri doctrinam admiserit, Smalcaldico tamen Protestantium fœdere manus dare renuit, undè postmodùm cùm abipsis, tùm deinde à Cæsareis, quòd fidei formulare Interim dictum suscipere ~~nolu~~ detrectârit, multùm vexata fuit. In 30. annorum bello etiam adverso quoque perpessa est, enimverò non tantùm plura sustinuit militum hyberna, sed et an. 1634. post gravem obsidionem, irrumpentibusque in muros hostibus septies repulsis, tandem se Ferdinando III. Romanorum Regi dedere coacta fuit, postquam nempè non prævalebat ea Suecii eidem suppetias ferre volentes abillo penitus derelicti fuêre. Tanta autem fuit Regis hujus in ipsam clementia, ut non modò liberam Imperii urbem deinceps esse permiserit, sed et liberum religionis exercitium eidem reliquerit. an. 1645. Galli, Bavaris prope pagum Allerheimium |: Alrheim :| cæsis, illam ad explendam victoriæ libertatem inducerunt, at post illorum discessum Bavari eam occuparunt. Anno sequenti Suecorum succedit præsidium. an. 1647. Bavari inopinatò illam adorti sunt, et igniveris globis, quos Bombas |: Bomben :| vocant, incenderunt, adeò, ut quarta et præcipua illius pars in cineres redacta fuerit. Hæc aliaque satis frequentia fata urbem hanc in deteriorem adduxerunt conditionem, coque et pannorum, quod in ea florebat, commercio privaverunt.

7° Wembdinga, Wendinga |: Wembdingen, Wembding, Wending, et Wendingen :| urbs cum Castro milliario ad Orientem à Nordlinga. Inditio Oettingensium

Comitum fuit, qui illam cum suo Districtu an. 1467. Bavariæ Duci Ludovico vendiderunt, à quo tempore penes Bavariæ Duces permansit. Veteres Ecclesiæ suæ feudum eam esse petebant Ratisbonenses Episcopi, illamque pro tali semper agnovêrunt Bavariæ Duces usque ad Ferdinandi Mariæ obitum, qui evenit an. 1879. tum enim apud ejus Successores hujusmodi agnitio defiit.

Urbs non admodùm ampla est, sed tamen elegans, in cujus tractu optima sunt pascua. Aliquot centenis ab ea passibus salubre oritur Balneum, quod variis morbis medetur. An. 1703. sub veris initium urbem hanc occupavêrunt Cæsarei, balneumque istud penitùs consumpserunt; at ingruente hyeme, cum Bavari circà Donavertham castra posuissent, illam denuò evacuavêrunt; tum an. 1704. 8. Jan. Galli cum præsidio munivêrunt, unde excursionibus suis et pecuniarum exactionibus Franconios et Suevos Circulos admodùm molesti fuêre, ubi verò propè Schellenbergam Fœderati feliciter pugnavêrunt, tum Gallos, qui in hac urbe erant, animus defecit, salutemque in fuga quæsivêrunt.

8°. Deckingum |: Dechingen seu Dorfingen :| Oppidum seu urbs exigua nec non celebre et perantiquum Benedictinorum Cœnobium in extremâ Rhætiæ orâ summo colle positum, è quo totius Comitatûs Oettingensis regio videri potest, non procul ab antiquo Comitum Oettingensium Castro jam statis diebus Cæsaris extructo, quod vulgò Hornburgum appellant, situm milliari ad Austrum à Nordlinga.

De primâ ejus fundatione nihil constat; attamen jam ante Sæculum XI. extitisse patet ex Diplomate S. Henrici Imperatoris Francofurti 8. Idus Octob. Indict. XV. an. Dominicæ 1017. edito, in quo ejus prædiis ab ipso ditati Advocatiam Episcopatui Bambergensi tradidit. Porrò variis ingruentibus, quo Imperium turbârunt, bellis, præsertim iis temporibus, quo Sacerdotium inter et Imperium Schisma fuit, Monasterium istud ad summam egestatem et omnimodam desolationem redactum est, in quâ mansit usque ad tempora S. Ottonis ex Comite Andechsensi et Imperatoris Cancellario Episcopi Bambergensis VIII. et Pomeranorum Apostoli, qui idem restituit et quasi de novo fundavit ac dotavit.

Verùm hæc S. Ottonis restauratio haud diu subsitit, statim enim periculosissima adfuêre tempora, quibus rapinis, depredationibus, terrarum depopulationibus, incendiis, bellis, latrociniis, &c. omnia fuêre implicata. In eam sortem luctuosam et hoc Cœnobium devenit, cujus proinde reditus adeò imminuti fuêre, ut ex iis Monachi commodè sustentari nequiverint; hinc illorum egestatem sublevaturi Episcopi quidam et Magnates, quò etiam illorum Monasterii status reformaretur, atque ibidem Deo studiosiùs deserviretur, sæculis XIII. et XIV. varia Parochiales Ecclesiæ eidem adjunctæ, seu, ut ajunt, incorporatæ fuerunt. An. 1512. in Vigilia SS. Apostolorum Simonis et Judæ ex-

incuriâ habitantium Monasterium istud totum incendio periit; at mox restauratum fuit, hodieque ad hui floret.

9º. Christigartense Monasterium [:aliàs Hortus Christi nuncupatum:] Cartusianum, 2. milliariis ad occidentem à Dunkingo situm, quod Comites Oettingenses circà an. Chr. 1347. fundarûnt, [:Salvum ac integrum perstitit usque ad infausta illa mutata Religionis tempora; tùm enim unus ex his Comitibus Lutheranismum amplexus illud Cartusianis proscriptis totum sui juris fecit. Re ad Superiorem Spirensem Imperii Cameram an. 1599. per Cartusianos delatâ, illius sententiâ et decreto Comiti injunctum fuit, ut his Monachis illud restitueret; at Sententia hæc executioni haud mandari potuit.: tandem an. 1630. autoritate Ferdinandi II. Imperatoris demùm restauratum fuit: verùm an. 1648. vi pacis Westphalicæ Cartusiani iterum exacti fuerunt, ædesque Cœnobium Comiti seu Principi Oettingensi traditum. Nunc penè subversum negligitur.

10º. Neresheimium [:Nereshoim:] elegans ac percelebre Benedictinorum Cœnobium in pago Rhoetiensis tractu quondam, quem ob soli admodum arenosi sterilitatem Juri Campi [:Härtfeld:] appellatione notant, propè ejusdem boum nominis oppidum in peramœno colle tribus milliariis ad Aquilonem à Nordlingâ ejus vocis Plorianum sublicet situm. Ejus primaria origo perantiqua est, atque primitùs fundatum dicitur an. Chr. 777. à Thassilone Bojorum Rege; cumque ab Hunnis totam posteà circumquaque regionem flamma ferroque plusquàm terribiliter infestantibus penitùs exci-sum fuisset, anno 1095. de novo fundatum ac amplissimè dotatum legitur ab Hartmanno Dillingensi Comite et uxore ipsius Adelheide Comitissa Kyburgensi, accitique huc inde ex Zwifaltensi Monasterio Monachi, qui ibidem Deo inservirent, ac Monasticam disciplinam instituerent.

Cæterùm frequentibus incendiis non tàm à casu fortuito quàm ab hostibus illatis Cœnobium hoc gravissima pertulit damna: nam quo tempore *Gibellinorum et Guelphorum pestes exorta, longè latèque sævire., ferro, flamma, vastitate undique grassari cœperunt, in pleraque urbibus nata inter Ecclesiasticos et Laïcos dissensiones et turbæ, illis Pontificii, his Imperatori adhærentibus. Hinc audit, ut an. Chr. 1246. Conradus Cæsar, qui per patris Friderici absentiam Germaniæ præerat, ex odio in Hartmannum et Albertum Dillingæ Comites, qui in fide Pontificum permanserant, Nereshemensem Ecclesiam, et anno sequenti, cum iterùm ibidem castra posuisset, adjacentia quæque succenderet. Denique ubidem Rex an. 1249. tertia vice castra hic in Nereshemensi territorio collocavit, tum Henricus Burgovia Marchio Caustrum et Ecclesiam succendit.

* Gibellini et Guelphi sunt harum famosarum factionum nomina, quarum in historiâ frequens est memoria, et quæ per 200, et quod excurrit, annos, quibus Summos Pontifices inter et Imperatores Germanos graves vigueræ discordiæ, Italiam et Germaniam conturbarunt. Guelphi à Pontificum partibus stabant, Gibellini verò Imperatorum causam tuebantur.

circa horum binorum nominum originem varia sunt Scriptorum opiniones. Quidam volunt ea sub Friderico I. exorta fuisse nomen in Germania provenisse. Alii illorum originem sub Friderico II. statuunt, eáque a duobus fratribus Germaniâ oriundis deducunt, quorum unus Guelphus, qui pro Gregorio Papa IX. fuit, alter Gibelus, qui à patribus Imperatoris stetit, voca-ti fuêre. Iterùm alii ida à duabus potentibus Germaniæ familiis deri-vant, quæ sub Henrico V. floruerunt, quarum una, è qua Henrici ortum du-xâre, Wibelingensis; altera, è qua potentes Du-es poriêre, Guelfensis Altorfiana nuncupata fuerunt. Itali quo-que nomina hæc juxtà linguam suam satis inep-tè interpretantur, ajunt-que, quòd Guelfi velut Guadatori di fé, id est, Fidei custodes, quòd tale-bus fidem tuerentur, Gi-bellini verò à guida belli, guidatori di battaglia, id est, Duces belli dicti fue-rint.

At verisimilimum est, quod aliis placet, Silicet, Papam Innocentium II. Conrado III. Imperatori, cui erat infensus, oppositi-se Henricum cognomento ~~Superbum~~ Superbum Bavariæ et Saxoniæ Du-cem, una cum fratre suo Welfone, atque adver-sùs ipsum instigasse, qui-bus & Sorium dedit Roge-rius Siciliæ Domitor, ut tantum eidem in germa-niâ facesserent negotii, quo impediretur, ne in Italiam veniret.

Cùm itaque Imperii turbas et dissensiones tot undique fœda-rapinas patrari, rapinas, incendia, cædibusque funera fieri conspiceret Albertus Dillingæ Comes, Cœnobium Neresheimense contiùs frequentes hostium insultus valdè et propugnaculis mu-nivit castro in colle S. Andreæ collocato an. Chr. 1250. Obiit ipse an. 1257. patre Hartmanno adhuc superstite, qui et anno sequen-ti 1258. vivere desiit, tùmque Ludovicus Oettingæ Comes Neres-heimium cum omnibus ad idem pertinentibus occupavit; atque hinc prædicti Comites etiam hujus loci Advocatiæ evaserunt.

Post non multos annos nempe 1261. civiter idem Monaste-rium rursùs flammis absumtum fuit, quod denuò auxit an. 1389. et 1405.

Abbates quoque illius variâ sæpè fortunâ usi sunt. Diversa à vicinis passi, capti etiam semel ac iterùm, et una cum Conventu in exilium acti, dum eorum prædia et posses-siones interim ferro igneque hostiliter vastarentur.

iii°. Gienga |: Gzengen :| seu Grogen :| Pagi Rhætiæ Urbs ea-qua et Imperialis in tractu Heidenheimensi ad Brentium |: Brentz :| fluvium, non procul à Danubio sita 5. milliariis ad Aprimum à Nordlinga, et 2. etiam ad Aprimum à Neresthei-mio versùs Ulmam.

Quidam arbitrantur eam esse Ptolomæi Riusianam; volunt alii Romanos etiam ibidem habuisse municipium, quod postea versum est in Ecclesiam in qua lapis adhuc conspicitur cum hac inscriptione: In H. D. D. Apollini Granno Bajenius Victor et Bajenius Victo-rinus Fil. ejus ex jussu Signum cum Base. aliique lapides cum figuris. In illius solo etiam vetera quædam numismata reperiri dicuntur.

Hujus Urbis jam an. 1250. fit mentio, et an. 1307. una cum aliis Imperii Civitatibus Alberto I. Imperatori fœde-re juncta legitur. Carolus IV. autem an. 1354. illam Comi-tibus de Helffenstein in feudum hæreditarium tradidit; ni-hilominus an. 1381. denuò in Rhenanarum et Suevicarum Urbium fœdera reperitur, et an. 1387. Wenceslaus Impera-tor eam una cum aliis Urbibus immediatè Imperio subjec-tam declaravit, unde verisimile est, quòd pecuniis liberta-tem suam ab his Comitibus redemerit. Postmodùm semper penes Imperium mansit. In 30. annorum bello post palmam Nordlingense, ubi Suevi cæsi fuerunt, Cæsarei Urbem hanc funditùs exuerunt. Cives omnes Confessionem Augus-tanam sequuntur.

Sectio III.

De Elsacis seu Principatu ac Dominiis Elsacensi, Comitatu Reichbergensi, et Urbibus Imperialibus in illorum Tractibus, aut circà eosdem occurrentibus.

Tribus §§. Sectionem hanc absolvemus; in quorum primo de Elsacensi Principatu ac Dominiis agemus; in secundo Comitatum Reichbergensem, et quæ ad illum pertinent expendemus; denique in tertio de Urbi-bus Imperialibus, quæ in illorum Districtibus aut circà eosdem occurrunt, tractabimus.

§. I.

De Elvaco seu Principatu et Dominio Elvacensi.

Elvacum, seu Principatus et Dominium Elvacense aut etiam Elvangense Situm habet in Pago seu Sylva Viragrundiensi seu Virgunensi |: Virag-grund seu Virngrund :| cujus longitudo ad septem miliaria protenditur, videlicet ab Arce Baldernâ usque ad aream Thannenbergam, latitudo autem à Civitate Dinkelsbula |: Dünkelspühl :| usque ad Hostensem Silvam, Franconiam inter, et Ducatum Wirtenbergicum necnon Comitatum Oettingensem.

Nomen habet ab urbe, quæ exiguis in hac Silva arboribus excitata fuit, ibique an. 764. ab Hariolpho Episcopo Lingoniensi in Comitatu Galliæ regione |: Langres :| et Carolo M. charissimo ejusque Confessario excitatum Ordinis S. Benedicti Monasterium transvectis in idem corporibus SS. Salutii et Serviliani Martyrum, quod anno 1011. Henricus II. Imperator Principali dignitate auxit. In eo olim floruêre complures viri non solum omnimodâ Scripturarum eruditione celeberrimi sed et vitæ meritò sanctissimi; at tandem anno 1460. idem Abbas Joannes de Hinkeim et Monachi regularis disciplinæ pertæsi abjectis cucullis ad Statum Sæcularem defecerunt facti Canonici, in quos propterea Trithemius** in suo Hirsangiensi Chronico pro suo in Benedictinum Ordinem Zelo dirè invehitur, ubi eos perjuros, mendaces, apostatas perversos et impios Deumque negantes vocat.

Igitur ea, quæ diximus, anno 1460. Cœnobium istud pergrata Cantorum camœna Abbati et Monachis metamorphosi in Collegium Canonicorum Sæcularium mutatum est, quod Præpositus S. R. I. Principes et Duodecim Canonici constituunt, inter quos prater Comites alioque Nobiles etiam Doctores numerantur, Provisores quatuor, Vicarii Chori octodecim. Advocatus illius est Dux Wirtenbergius.

Hîc notari dignatus meretur Elvacum seu Elvanga |: Elwangen seu Elwangen :| Urbs haud procul à Scaturigine Cogni seu Corhari |: Rohr :| fluminis, 4. miliaribus à Bopfinga ad occidentem sita in Virgrundio seu Virgunno |: Virragrund seu Virngrund :| Quidam nomen illius ab Elephante deducunt, undè et illam Elephantiacum seu Elephantinum vocant, sed pergerem crimen verò verisimilius ab Alba |: Aland :| quæ ibi capta fuisse dicitur, quasi Elfang, nuncupata videtur; in cujus rei memoriam in sacra Basilica fatis Scenmioribus pulpitum, in quo Evangelia à Diaconis decantandi liber reponitur, hisutâ Alâis pelle tegi solet. Canonici in ida magnificas habent ædes. Ei imminet Castrum vetustis antiquis constructum in jucundo montis colle situm Sedes Præpositi. E regione ibius altor mons conspicitur, cujus apicem occupat Ecclesia admodùm Speciosa necnon pretiosis ornamentis instructa, ad quam frequentes fiunt peregrinationes.

Horum exercitus Dux fuit Welfo, Imperatoris verò copiis profuit Fridericus Suevia Dux. primùm propè Neresheimum pugnatum fuit atque Welfonis exercitus eam vi ita, ut ipse cum paucis ægrè evaserit. tùm propè Wimsbergam in Monte Monasterio & prælium demùm ultimum, ubi Welfonis copiarum Symbolum fuit |: Hie Welfo :| Fridericii verò: Hie Gibellinum |: Gibellingen :| à Gibellinga |: Gibellingen :| loco non procul ab Arce Hohenberga |: Hohenberg :| in Composuro |: Hohenstaufen :| sito, in quo ipse Fridericus post factam nativitatem suam factatus fuerat. Cùm autem Itali, Galli, Longobardi et Siculiani, qui aderant, quid hæc vocabula significarent, hisce cuperent, ipsis dictum fuit, per Welfos intelligi Pontificios, per Gibellinos verò Cæsareos. Unde postmodum harum periculosarum factionum, quæ tunc temporis sub Friderico II. Imperatore ingentes turbas civêre, bina nomina ortum habuêre, vel habuisse dicuntur. vid. inf. n.

** Trithemius |: Joannes :| Abbas Spanheimensis in Diœcesi Moguntina oppido Tritheim non procul à Treviris ad Mosellam sito oriundus perhibetur ab honestis quidem parentibus, sed quibus augustæ satis fuêre facultates, Joanne de Monte et Elisabetha de Longvic. Initio Studiis navavit operam Trevis et Heidelbergæ. Deinde vigesimum secundum ætatis agens annum Spanheimii in S. Martini Cœnobio Ordinis S. Benedicti Monachum induit, in quo ob eximiam doctrinam suam brevi abbas spectabilis factus est, ut an. 1483. in eidem Monasterii

Abbatem coöptatus fuerit, quod munus per 22. annos summa cum laude gessit. Cùm autem Philippi Comitis Palatini partes adversùs Hassiæ Landgravium tuerentur, ei tantum molestiarum et negotii facessêre ipsius frior Nicolaus Remittus et huic adhærentes Monachi, ut tandem 1. Aprilis an. 1505. relicto Monasterio apud Joannem Electorem Brandenburgicum se receperit. Jndè an. 1506. à Laurentio Herbipolensi Episcopo anitus Herbipolim, abipso Abbas Monasterii S. Jacobi Scotorum Ordinis S. Benedicti in hujus Civitatis Suburbio Siti constituitur, in quo usque ad obitum sum; qui an. 1519. acidit, tranquillam studiisque jucundam vitam duxit. Vir fuit apprimè doctus, præcellens Mathematicus, Poëta, Historicus et Theologus. Quidam illum magiæ & Steganographiæ libram sum, sed falso. Spanhemii 2000. selectorum librorum Bibliothecam reliquit. Opera ejus sunt Chronologia mystica; De origine Francorum; Chronicon Succs. Ducum Bavariæ. Catalogus Script. Eccl. Chronicon Cœnobii Hirsaugiensis; Chronicon Monasterii S. Martini; Epistolæ familiares; Polygraphia; Steganographia; &c.

Cæterùm urbs hæc etiam fata sua habuit. Anno 1255. Rudolphus Abbas eam incendit. an. 1304. fulminis ictu idem passa est infortunium. an. 1351. excisa fuit et in cineres redacta. an. 1433. tota in flammas abiit. An. 1552. Cùm Imperator Carolus V. Metas |: Metz :| obsideret, Ordinis Teutonici Magister illam interepit, quem tamen Dux Wirtenbergicus tanquam Cellegii Elvangelii Advocatus ad Canonicorum instantiam repressit. Jn triginta annorum bello etiam aliquoties ab hostibus occupata fuit.

§. II.

De Comitatu Reichbergensi et ad illum pertinentibus —.

Comitatus Reichbergensis |: die Grafschaft Reichberg :| circa filiscum |: Filz seu Illz :| flumen situs est inter Ducatum Wirtenbergicum et Territorium Ulmense; nonnisi ad duo miliaria porrigitur. Comites in Castro munito et supra montem posito, quod Comitatui ipsique Comitibus nomen tribuit, residere solent. Catholica sacra colunt, et hactenus in Electorum Bavariæ Aula suprema obiêre munia.

Ad eos etiam pertinet angustus tractus juxta Illerum |: Iller :| flumen et Jllerbrunnen Fuggerianam, quibus ab oriente et occidente claudituv, Memmingam usque protenus.

Jn hoc tractu milliaris dimidio et paulo amplius à Memminga ad Caurum occurrit celebre et splendidum Carthusianorum Cœnobium Buxheimense |: Buxheim :| quod Aula Beatæ Mariæ Virginis nuncupatur. Fuit olim contuberniun Sacerdotum Sæcularium sub directione unius Præpositi. Tandem an. 1402. Henricus ab Ellerbach Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ Canonicus hujus contuberniii Præpositus ultimus, compensatione prioribus illius inquilinis alibunde factâ, ipsum in Cœnobium aptavit ac Carthusianis tradidit inhabitandum, quod hôdiedum adhuc vel maximè floret. anno 1637. Sueci hîc castra metati sunt.

§. III.

De urbibus Imperialibus &c. quæ in hac plaga occurrunt.

1°. Dinckelspula, Dinkespila, Dinckelsbula, Dinkesmula, et Dincelsbyehla |: Dinckelsbühl, Dinkelsbühel, Dinckelsbeil, Dinkelsbeihel, Dinggelsbüel, Dingelsbüel, Dünckelsbiel, et Dünkelsbüel :| Libera Imperii urbs ad Varmum |: Wornitz :| flumen posita, q. circiter miliaris paulo Jcaurum à Nordlinga, in Vicinia |: q. Nomen habere videtur à Spelta |: Dinkel :| quæ in Suevia abundè colitur, et tribus collibus ~~opido interjacentibus~~ |: Büsslon seu Hügeln :| quibus est inædificata. Primùm nonnisi Villa rustica fuit, quam posteriores Herbipolensibus Monachis sæpè idem iter agentibus domo fuit, ubi Cœnobium exitârunt, quod adhuc ibidem extans Carmelitarum conventus esse dicitur. anno circiter 928. istud Oppidum villicum, quod in veteri quodam Sigillo vocatur, sub

q. |: Virgundi :|
Sub gr. long. 29. m. 9. Lat. 49. m. 2.

Imperatore Henrico I. propter Hungarorum et Venedorum seu Vandalorum incursiones simplici muro circumdatum fuit, cui an. 1126. muros altos, turres et fossa fuerunt addita, ita ut tunc temporis Urbs haec, quemadmodùm et Hala, Suevorum limitaneum esset propugnaculum adversùs Francos. An. 1309. jus obtinuit de non evocando, et an. 1350. ut ab Imperio avelli non posset, jus obtinuit. attamen an. 1351. Imperator Carolus IV. idam Comitibus Oettingensibus pro summa 7200. librarum oppignoravit, à quibus tamen sejpsam redemit.

Anno 1387. Cives Augustanorum, qui an. 1368. Patricios suos Senatu expulsarant, exemplum Secutiæ, in Magistratum, quem Patricii constituebant, tumultuantes ad rem adduxerunt, ut hi ex Sex suis tribubus duodecim viros sibi sociare, et Tribunum plebis Consulem dicere coacti fuerint, qua reginiminis forma. persistitur usque ad Caroli V. tempora; hic enim an. 1552. Senatum ad quindecim personas redegit, quarum Sex ex tribubus, novem verò ex Patriciis deligerentur.

Quantùm ad Religionem spectat, ante triginta annorum bellum varia in hac urbe Catholicos inter et Lutheranos vigebant dissensiones, quòd hi ab illis, penes quos rerum Summa erat, premi se conquerebantur, qua an. 1570. composita seu potiùs sopita. Tantò ante fuerunt redditæ Lutheranis, quæ ipsis ablata fuerat, Xenodochii Ecclesiæ. Tandem pacis Westphalicæ decreto amborum Religionum paritas introducta fuit, quod, cùm executioni mandare negligerent Catholici, novarum querelarum occasionem Lutheranis dederunt, quæ per conventionem an. 1651. inter utriusque partis Cives initam penitùs finita fuerunt.

Dinkelspula Catholici præcipuam habent Ecclesiam, quæ S. Georgii dicitur, pretiosum et splendidum ædificium. Adest etiam Carmelitarum Cœnobium, quod diutinâ temporum injuriâ per mibe casus et pericula superioris ætatis ardua servatum est, dicitur esse vetustissimum, nec tamen priscæ illius fundationis historia, quod morbus abhinc, et quod exuerit, annalis, in flammas una cum omnibus documentis his abierit, nunc haud satis haberi potest: ipsa urbe antiquius dicitur, quod jam supra memoravimus. Capuccini item hîc habent Cœnobium an. 1622. ædificari cœptum. fundus ad instantiam Ferdinandi II. Imperatoris à Magistratu concessus, fabrica verò plenissimè absoluta fuit et perfecta huntibus Nobilis Dominæ Evæ Mariæ Fleischin à Lechenfeld, ex Rettingerorum familia orta. Cives pannorum et aliorum laneorum textilium necnon tibialium commercium præcipuè exercent, adjunctæque harum artium opificia.

2° Kirchberga |: Kirchberg :| Urbs exigua cum Arce ad ripam Jaxti |: Jagst :| fluminis sita 4. circiter milliariis ad Caurum à Dinkelspulâ. Comitibus modò Principibus de Hohenlohe titulo emtionis paret; utque Ædes unius idonum familiæ. Cæterùm de ea nihil memorandum dcurrit.

3°. Halla Suevorum |: Hall :| Urbs libera Imperialis inter Palatinatum inferiorem, Franconiam et Ducatum Würtembergensem ad Cocharum |: Kocher :| fluvium, qui illam perfluit, posita 7. milliariis ad Orientem ab Hailbronnâ seu Alisa, sub gr. long. 28. m. 25. lat. 49. m. 6. Undique montibus cingitur, adeò, ut ad illam haud facilis pateat ~~aditus~~ accessus.

In tres partes seu regiones dirisa est, quarum una Vetus Hala |: Alt Hall :| vocatur, in qua pretiosum S. Michaëlis Templum an. 1156. exstatum extat; altera trans Cocharum est, in qua Ecclesia S. Joannis visitur; tertia denique Vicus Gelbingensis |: Gelbinger Gass :| nuncupatur.

Nomen habet à fontibus salinis, qui ibi sunt, ac germanicè Hala ~~nominantur~~ nominantur, quo etiam nomine multa alia Germaniæ urbes salinæ veniunt, ut e.g. Hala Saxonum |: Halle in Sachsen :| ad cujus et aliarum ejusdem nominis urbium distinctionem hæc Hala Suevorum vocatur.

Quid an arbitrantur eam esse Ptolomæi Alisam seu Halizon; quamvis facilè credideriumus, urbem hanc, quam gravem lustrimisse obsidionem Paterculus* memorat, jam diu ~~interiisse~~ interiisse, enimverò velut quid certum Cuninus** et Zeilerus asserunt, illum, quo anno Hala stat, eorum ante 800. et quod excurrit, annos, marum deserturn fuisse: verisimile admodum etiam est salinos fontes hîc primum post introductam Religionem ~~Catholicam~~ Christianam detectos fuisse, ad quos circà Saeculum IX. Comites de Wertein domos aliquas contorrerunt, quibus deinde lucri gratiâ multi Nobiles se sociarunt adeò, ut inibi successivè ultra quadraginta ares mensata fecerint, quarum adhuc supersunt reliquiæ: illarum septem ita sibi invicem erant vicinæ, ut sub septem pyrgorum seu Burgorum vel Heptapyrgii |: Siebenbürgen :| nomine pro unoquodque loco habita fuerint; eumque in civica sortis homines domos adjunxissent, urbis partem constituerunt cujus adhuc turres supersunt.

Initio, quod jam meminimus, Comitis ad Comites de Wertein pertinuit, à quibus ad Templarios, et iis extirpatis, ad Patres Minoritas pervenisse dicitur: attamen jam an. 1307. velut libera Imperii urbs Alberto I. Imperatori fodere juncta fuisse legitur.

Antehac urbem moderabantur Senatus, Interior et Exterior, quorum priorem Patricii, istum verò plebeji constituabant; at cùm Nobiles seu Patricii, qui ab ipsius primordiis in eâ at circà eam residerant, tanto quidem numero, ut Urbs Nobilium dicta fuerit, omnem auctoritatem cum exclusione Senatus, ut volebant, exterioris sibi arrogarent, cives id aegrè ferentes, facto eò rem adduxerunt, ut Ludovicus Imperator an. 1340. per Ulricum seu Udalricum Comitem Würtembergensem abolitis interiori et exteriori Senatibus, novum urbis regimen constituerit, quòd ex Patriciis et totidem plebejis constare voluit. Hac mutatio effecit, ut plerique Nobiles Ulmam, Norimbergam et Augustam se contulerint.

* Paterculus |: Velejus :| Historiographus Latinus floruit aetate Tiberii Cæsaris, sub quo factus est Tribunus Militum deinde Quæstor, et tandem Summus copiarum Romanarum in Germania et Hungaria Dux. Succinctam et amœnatam stylo eleganti scripsit historiam ii. libris comprehensam, quorum plerique exiderunt. Creditur, quod in ea Tiberio et Sejano nimium adulatus fuerit.

** Cuninus |: Martinus :| Greberus |: Gorbran :| in Diœcesi Bambergensi an. 1526. 19. Sept. natus, Tubingæ verò ubi lingua græca professorpuit, an. 1607. 28. Feb. denatus perhibetur. Ipse est, qui an. 1573. Confessionem Augustanam græcè translatam Constantinopolim ad Jeremiam Patriarcham transmisit, quò illum ad Lutheranorum par-

An. 1346. Hala incendio penè devastata fuit. An. 1349. pestilente hîc habiti fuerunt Hebræi. An. 1386. vel, juxtà alios, 1376. magnum denuò incendium in ea exortum est. An. 1417. in Concilio Oecumenico, quod tunc Constantiæ celebrabatur, legatum habuit. An. 1542. Nobiles, qui ab an. 1340. in urbe remanserant, propemodùm priorem auctoritatem suam recuperassent, nisi novo plebis tumultu, in quo sumbuerunt, impediti fuissent, hinc plerique urbem hanc denuò desemerunt; modòque regimen civici tenent, illudque viginti quatuor personæ constituunt. An. 1728. 2. Sept. penè tota in cineres redacta fuit.

Inter varia, quæ ab Imperatoribus obtinuit privilegia, etiam cudendæ monetæ jure gaudet, sintque, qui velint, oboli, |: die Haller :| antiquissimam Germaniæ monetam, primùm Halæ Suevorum cusos ~~prisco~~, ac nomen istud posteà per totam Germaniam propagatum fuisse.

Cœtùr in ea est satis quaestus, qui albus est et elegans, nec tamen pro tota Suevia sufficiens. Cives Lutherani omnes sunt. In illa ante Lutheranismum floruit franciscanorum Cœnobium, è quo an. 1524. exturbati fuerunt. Adfuit etiam Sanctimonialium Conventus pridem jam à Lutheranis extinctus, cujus tamen adhuc superest Ecclesia, quæ S. Catharinæ dicitur. Extrà muros extitit quoque aliud Claustrum Sororum Pœnitentium seu Tertii Ordinis S. Francisci, quod et Lutheranis cessit. Extat tamen adhuc in ea Equestris Melitensis Ordinis Collegium. Cæterùm Urbs hæc satis amplum possidet territorium.

4°. Ala, Ola, et Alena |: Aalen, Alen, et Külen :| Urbs exigua Imperialis libera Oettingensem inter et Würtembergensem Principatus in tractu Elvacensi ad ripam Cogni seu Cochari |: Kocher :| fluvii posita 3. miliaribus ad Austrum ab Halâ. Ab antiquis, quas Cochanus abundanter suppeditat, germanicum nomen suum habere dicitur. Antiquitùs Regum Bohemiæ fuit, quorum nomine illam administrârunt Comites Oettingenses, qui postmodùm suam fecerunt, necnon Comitibus Würtembergensibus pro 20000. florenorum summa oppignoravernnt. Cùm autem Eberhardus Comes Würtembergensis an. 1300. adversùs Imperatorem Carolum IV. rebellasset, tùm ei conventionis postmodùm initæ Urbem hanc relinquere debuit. Attamen Domui Würtembergensi antiquum in eam jus suum nondum memoriâ excidit. 4 Imperio

5°. Gamunda |: Gmünd, Gmünt, Gmünd, Gminda, et Gmünde :| Urbs libera Imperialis in extima Rensica valle |: Remsthal :| semi milliari ad septentrionem ab Ane Reichberga, et mus ad Euronotum à celebri quondam ordinis S. Benedicti Cœnobio et Castro Stauffensi* |: Hohen-Staufen :| posita. Creditur nomen habere à vocabulo Germanico Gmünd, quod idem ac fluminis ostium 4 Lorchensi,

* Castrum Stauffense |: Hohen-Staufen :| antiquorum Sueviæ Ducum sedes natalis fuit, quo-

tes traheret. At irritus fuit ibius conatus; gravem enim ab isto Patriarcha epistolam retulit, in qua gravi censurâ confessionem hanc Protestantium notavit.

Scripsit Cousius inter alia Annales Sueviæ.

num Stirps in Conradino, quem an. 1269. Carolus Andegavensis S. Ludovici Galliæ Regis frater Germanus Neapoli capite plecti jussit, penitus extincta fuit.
Castrum hoc rustici tumultuantes an. 1525. incenderunt ac euiderunt.

significat: ea namque ea loco sita est, quo multi rivi Remsæ |: Rumb:| fluvio immergantur. Curius idem à Latino Latinio derivat, aitque Gamundam seu Gamundiam idem esse ac Gaudium mundi; cùm enim, inquit alterius, Friderici Imperatoris conjux aliquando annulum suum nuptialem cum amisisset, Imperator votum emisit, se eo loco, ubi annulus iste reperiretur, urbem ædificaturum, annulo dein hîc reperto votum implevit Imperator, urbémque exstruxit ac Gamundam, velut Gaude munde, vocavit. Sed hæc fabulam redolere videntur.

Gamunda circà an. 894. ædificata fuisse videtur, attamen primùm an. 1090. seu 1110. ætate Friderici Senioris et Friderici Monoculi Sueviæ Ducum ex prosapia Staufiana omninò nota facta fuit, quorum posterior muenibus eam cinxisse dicitur, utpotè quo tum temporis municipalis Sueviæ Ducum urbs fuerit, à quibus etiam multis privilegiis civitatisque jure donata fuit. Postquam autem Staufensis prosapia unà cum Conradino defecit, ipsorúmque Ducatus vicinis in partem cedere videretur, tùm et Gamunda arrepta interregni occasione se in Imperii libertatem asseruit, in qua hactenùs se sustinuit, nemor in variis Imperii Principum clarigationibus nomen habuit, ipsique fœdere juncta fuit.

Anno 1175. Henricus cognomento Leo Bavariæ et Saxoniæ Dux in hac urbe ab Imperatore Friderico I. proscriptus est, ipsique aquâ et igne interdictum. Antiquis temporibus hîc multa equitia seu ludicra certamina celebrata fuêre, quorum fossa sub Augustinianorum Cœnobio adhuc nomen retinet.

† nomen

Dilapso Sueviæ Ducatu Cives obtenta Imperii libertate simul Patricios, qui tum urbis regimen gerebant, Magistratu dejecerunt, sibique ex plebejis Senatum constituerunt. An. 1546. Protestantes illam obsederunt et obtinuerunt, necnon Sanctimonialium Ordinis S. Dominici Cœnobium cella Dei |: Gotteszell :| dictum extrà muros positum ab ipsis vulcano traditum fuit. In triginta annorum bello Sueci sæpiùs eam potiti sunt; et in Successionis Hispanicæ bello an. 1703. vasa à Gallis in Rhenia valle sub Bellidine Gallorum Imperii copiarum præfecto Civem eisdem per Legatos claves urbis obviam attulerunt.

Gamunda tota Catholica est. Duplici muro et fossa instructa est et arte antiqua satis munita. Ædes habet humiles. Præter Ecclesiam parochialem, quæ S. Cruci sacratur, atque pretiosa admodum est, in ea adhuc sex aliæ numerantur scilicet B. V. Mariæ, S. Joannis, S. Viti, S. Sebaldi, S. Michaëlis, et Xenodochii, item Capella S. Nicolai, et S. Georgii. Monasteria Eremitarum S. Augustini, Dominicanorum, FF: Minorum S. Francisci Conventualium, Capucinorum, et Sanctimonialium Ordinis S. Francisci, necnon Ordinis S. Dominici extra muros, quod supra jam memoravimus. Urbis hujus territorium Ducatui Wirtembergensi confine est, atque undecim pagos complectitur.

Ulma |Ulm:| Urbs spectabilis libera et imperialis, latisque ampla, populosa nemon commercio celebris, et nova arte munita, ad sinistram Danubii, qui hîc ponte, quam postes lapidei sustentant, jungitur, ripam, ubi Blavium |: die Blau:| cui prius jam luttera |: die Lutter:| se junxit, et Ilerum |: die Iller:| recipit, ac deo navigabilis esse incipit, sita in confiniis Ducatûs Wirtembergici, 9. milliariis ad Occidentem ab Augusta. Vetus admodum est, suntque, qui eam non modò Saulo IV. jam extitisse contendant, sed et longe ante Christi ortum tempore pagum jam fuisse velint. Certè jam antiquis temporibus celeberrima fuit, illisque sub Alemannii nomine maniit Ptolomæus. Cluverius vult eam olim Samulocenam fuisse vocatam. Nomen ipsius aliqui derivant ab Ulmis, qua hîc, utpote solo pinguissimo, in magna stetere copia, unde et Ulmenses à Plinio et Tacito Sylvio Ulmigeros et Ulmanetes dictos fuisse quidam autumant; et verò in hac urbe adhuc etiamnum vicus est, qui à Salicibus et Ulmis, quæ ibi fuêre, Ulmorum vicus nuncupatur. Verisimilius tamen videtur, ab Hulmigeris, Bructeris seu Borussis, qui hîc resedêrunt, illam nomen sum traxisse, hinc et in veteribus monumentis plerumque potiùs Hulma quàm Ulma scribitur.

Superest adhuc Diploma Caroli M. an. 813. editum, quo Imperator hic Urbem hanc, quam Villam Regiam nuncupat, Augiæ Ditioris Abbati tradit. unde aliqui illam tunc temporis nonnisi pagum fuisse autumant; non advertentes, quòd in antiquis documentis Villa Regia Urbem Regiam neminique nisi Imperio subjectam denotet; Carolus Crassus etiam, ubi Ulmensium privilegia an. 883. confirmavit, eorum hanc expressim Oppidum seu Urbem vocat; denique Fridericus Arnobardus in hâ Bullâ de limitibus Episcopatûs Constantiensis an. 1155. editâ, quam refert Pistorius*, Ulmam Villam suam nominat, quod hîc pagum indicare nequit. Ut tamen certum Ulmam ante annum 1300. mœnibus nondum cinctam fuisse, sed fossa duntaxat et septo munitam fuisse: tum primùm enim muro, castris, turribus et propugnaculis instrui coepit; et denique annis 1564. et 1606. eidem validiores adhuc adjectæ munitiones.

Quando autem Ulma ab Augiæ Ditioris Monachorum jurisdictione liberata fuerit, non satis constare videtur; Crusius ait id sub Imperatore Ludovico Bavaro factum fuisse tradità quadam pecuniæ summâ, quæ cum ipsis non sufficeret, tandem sub Friderico III. quem aliqui IV. alii verò V. nominant, oblatâ adhuc aliâ pecuniæ summâ, plenam adepta est libertatem.

Jam inter Sueviæ Urbes, ~~inter primas~~ fieri coepit, ~~primas obtinuit~~ Senatusque multis iisque eximiis ab Imperatoribus donata fuit privilegiis, ~~quibus~~ quæ non modò spectabilem, sed et solum salubre et fœcundum, in quo posita est, mœnia frequens commercium, quod antehac in gossipia tela prout nunc in lino, lana, ferro, &c. exercuit, quodcumque effecêre, adeò ut cùm armis tùm pecuniis varios Comitatus et Dominia sibi comparârit,

* Pistorius |: Joannes:| Nidda in Wetteravia Ditionis Hesso-Darmstadiensis natus perhibetur an. 1546. patre lutherano ac ibidem Superintendente. Primùm Medicinæ operam dedit, at cum in ea minùs prospere res ipsi succederet, ad Jus Civile animum intendit. Ex Lutheranus Calvinista, ac tandem Catholicus Jacobum Marchionem Hachbergensem unâ cum suo Bracone Joanne Dehenderero ad fidem Romano-Catholicam adduxit, postquam an. 1589. cum quibusdam Wirtembergensibus Theologis Jacobo Andreæ, Stephano Gerlachio, Jacobo Herbrando, ac Au-

Ivo a Osiandro de Religione colloquium habuisset.

territoriumque suum cis et trans Danubium acquisierit ad sex milliaria longum et ad tria vel quatuor latum, in quo præcipuè orientur 1o. Geißlinga ſ: Geißlingen:| Urbs exigua ad Vilgam ſ: Wilg:| fluvium Rita ſ: circiter milliaribus ab Ulma ad Caurum; quæ quinque portas habet et duo Suburbia totidémque Ecclesias. Tornatis operibus, longe latéque celebris. 2o. Langenavia ſ: Langnau Oppidum milliari cum dimidio ad Euro-aquilonem ab Ulma. 3o. Albecam ſ: Allorf:| urbs cum Castello in monte posita milliari et semi ad Septentrionem ab Ulma. et 4o. Leiphemium ſ: Leipheim:| itidem urbs cum Castello milliari à Guntia ſ: Günzburg:| ad occidentem 400. passibus à dextera Danubii ripâ. ſſ.

Anno 1122. Ulmam obsedit quidam Wolkardus de Mind, nec tamen obtinere valuit. Non diu post scilicet anno 1129. Lotharius II. Imperator post gravem obsidionem illam occupavit ac devastavit. Inclito Saculi XIV. cum Ludovicus Bavarus et Fridericus Austriacus inter se de Imperii corona decertarent Ulma hujus partes amplexa est, eáque tutata fuit usque adipsius captivitatem et liberationem, postea verò constanter Ludovico adhæsit, unde et má cum ipso à Papa anathemate perculsa fuit, Monachosque officia divina juxtà Summi Pontificis mandatum publicè celebrare detrectantes an. 1328. civiter urbe expulit. An. 1372. Eberhardus Comes Wirtembergensis Ulmenses prælio devicit Ulmámque obtinuit, quam tamen illicò deseruit.

Anno 1522. Lutheranismum adoptavit, et an. 1531. Dominicanorum, FF: Minorum de Observantia, qui Conventibus successerant, et aliquot Sanctimonialium Coenobia suppressit: remansêre tamen Canonici Regulares S. Augustini Wengenses dicti, necnon Domicilium Equestris Ordinis Teutonicorum, uti vocant, militum, quod ineo tume adhuc perstat, quemadmodum et memoratorum Canonicorum Regularium Coenobium; ad quorum Ecclesias rei divinæ frequentandæ gratiâ liber patet aditus incolis, accolis, et peregrinis cujuscunque Status et conditionis Catholicis Ulmam petentibus. p. Inter Templa Ulmæ existentia præcipuè celebratur illud, quod majus seu principale dicitur, quod tum quoad longitudinem tùm altitudinem et latitudinem omnia Germaniæ Templa superare quidam autumant.

In bello, quod Saculo XVI. Carolum V. Imperatorem et Protestantes viguit, Urbs hæc se eidem subjicere debuit, inque ea plubliorum negotiorum causâ an. 1548. à die 25. Januarii usque ad 4. diem Martii commoratus est, ac Dominicanorum Templum à Sordibus repurgatum et ritu Catholico reconciliatum pro auscultando Officio Divino sibi delegit usurpandum. Senatum Ulmensem constituunt 24. Patricii, et 17. plebeji ex Tribubus adlecti viri. Ulma ab aliquibus Sueviæ Metropolis nuncupatur.

7o. Elchingum ſ: Elchingen:| celeberrimum et Imperiale Monasterium Benedictinum in monte Coroque amœ-

no ad sinistram Danubii ripam, qui ibidem ponte jungitur, situm sub quo est ejusdem secum nominis Oppidum, milliari ad Euro-Aquilonem ab Ulmâ. Olim à vicino querceto, vel quod montem in quo positum est, quercetum texerit, ~~Kiefflingen dictum, et~~ quippe quercum significat lingua Teutonica Kieffelingen dictum, Kief quippe quercum et Klingen veteri Germanico idiomate sylvam significat; ex quo nomine postmodùm Kieflingen ac demum Elchingen factum est, quod latinè Elchingen redditum fuit. Elchingen ergo mons fuit querculibus contectus, ~~quibus circumsitus~~ cui, iis exscisis, Castrum inædificatum est prædonum latibulum, quod, perturbatis prædonibus injustis illius possessoribus, Duces Suevia sibi asseruerunt: ab iis deindè ad Conradum Saxonia Ducem per conjugem suam Luitgardam Suevia Ducissam et Conradi III. Imperatoris sororem pervenit, qui illud an. 1128. in Monasterium convertit, quod Castri nomine retento Elchingense vocatum Benedictinis inscendum tradidit. Cùm verò pravis postmodùm incendiis miserè periisset, tùm an. 1142. Albertus Comes de Ravenstein Suevia Regulus illud demùm restauravit. at ubi successu temporis Religio S. Benedicti ubique languesceret, et ipsa in Elchingensi Coenobio deficere coepit, ipsumque penè dilapsum est Monachis ad eas redactis inopias, ut non haberent quo victum sustentarent; calamitatem auxit postmodùm, quæ circà an. 1346. per Germaniam ferè grassata est, ~~vicinas~~ Urbes, Oppida, Pagos et Villas non modò, sed et Monasteria habitatoribus vacuavit, quo infortunio etiam correptum fuit hoc Coenobium adeò, ut unius duntaxat in eo remanserit Monachus, qui simul et Abbas fuit. Tandem circa annum 1412. velut reviviscere coepit, adfuerunt quippe Abbas et Religiosi, qui officia divina celebrabant quidem, nequidquam tamen omninò juxta S. Benedicti institutum mores vitamque componebant, ac primum an. 1450. in idem penitùs reducta fuit Monastica disciplina regularisque observantia, quæ etiamnum adhuc in illo mirum in modum viget.

Anno 1546. in bello, quod Carolum V. Imperatorem inter et Germania Protestantes gerebatur, Ulmenses die S. Galli sæva Monasterium Elchingense incenderunt ac penitùs delevernt; in qua calamitate insignis Bibliotheca, monumenta, et templi ornamenta perierunt, nihilque mansit integrum. Sed subjugatâ ab eodem Imperatore Suevia Monachi Coenobium suum recuperunt, atque successu temporis demùm instauratum ~~fuit~~, et in eum, quo adhuc nobiliter floret, splendorem perductum est. Ab anno 30. amorem bello multa quoque adversa pertulere Monachi Elchingenses.

Sectio IV.

De Ducatu Wirtenbergico.

Ducatus Wirtenbergensis seu Wirtenbergicus |: Jetzo Herzogthum Würtemberg seu Wirtemberg :| propotens et amplus, confinis est ad Orientem Principatui Elvacensi, Bala-

tinatui Neoburgico et Territorio Ulmensi; ad meridiem variis exiguis Suevie territoriis et ditionibus; ad occidentem Marchionatui Badensi, Principatui Fürstenbergico et Hercinia Silva; et ad Septentrionem Inferiori Palatinatui, et Franconie.

Longitudo ejus est 20. milliarium, nec multò minor videtur esse latitudo illius, quamvis haud ubique sit contigua, ac interdum aliena quædam interecdant territoria.

Nomen habet à veteri Castro quodam milliari à Stutgardia non procul à Canstadio ultrà Neccarum versus Eurum in monte posito et Wirtenberga [: Würtenbrog :] dicto. Undè autem huic Castro nomen inditum fuerit, varia circumferuntur opiniones, de quibus suo loco.

Wirtenbergensis regio duos complectitur Ducatus Sulicet Teuensem, et Urslingensem seu Schiltacensem, usque quatuordecim Comitatus, et totidem Abbatias, quas Lutheranismus, expulsis Monachis, Duci fisco asservit, septuaginta duas Dynastias; et totidem fermè Urbes, mille trecenta Oppida et Pagos, necnon quadringenta quinquaginta civitates Judaicum milvia. Intrà ejus limites etiam occurrunt quædam Urbes Imperiales. Omittimus hîc Comitatum Montis Bellicardi [: Mont-Belliard :] qui etiam Duces Wirtenbergici dominantur; de quo egimus suprà ubi de Comitatu Burgundiæ nobis semo fuit.

Fluvii, qui Ducatum hunc perfluunt amnes sunt Nicrus seu Neccarus, Brettlaus [: Bretl Cast :] Enzia [: Enz :] Ensia [: Ens :] Cognus sive Cochanus [: Kocher :] Jaxtus [: Jagst sive Jaxt :] Kinzicha [: Kintzig sive Kinzing :] Luttera [: Lauter :] Lisa [: Lein :] Mura [: Murr :] Nagoltha [: Nagold :] Remsa [: Rems, sive Reims :] Vilsa [: Vilp :].

Horum omnium fluviorum præcipuus est Nicrus seu Neccarus, qui in Sylva Hercinia prope Schwaningam [: Schwaningen :] pagum Villingam inter et Rubeam Villam [: Rotweil :] urbes scaturiens totam regionem à meridie ad Septentrionem perfluit.

Regio hæc, quamquàm aliquibus locis salebrosa admodùm sit, et versùs Herciniam Sylvam frigida et aspera, tamen inter amœnissimas et fertilissimas Germaniæ provincias recenseri meretur. Agri frumentum, Vineta vinum, flumina et lacus pisces abundanter proferunt, Sylvæ feris sunt repletæ, vireta et insulæ variarum specierum pecora enutriunt. Adsunt etiam salina, marmoris aliorumque lapidum latomiæ, metallica præsertim æris, ferri, et argenti fodinæ. Flaves quoque hîc me-

merantur thermæ et acidulæ, quàm in quavis alia Germaniæ provincia.

Inter hujus regionis naturalia, quæ simul velut antiquitates seu vetustatis aut fortè Diluvii reliquiæ existimari possunt, præcipuè recensentur Unionum fossile seu Scelatus, scapulæ, maxillæ, aliaque petrificata ossa magnarum ferarum, ut e.g. Elephantum, quæ in quodam monumento propè Constadium an. 1700. detecto, magnâ copiâ variâque magnitudine inventa fuerunt. admiratione etiam dignus est lapis ille similis, qui propè Omdam |: Omdrn :| pagum inventus fuit, ac feram marinam refert. Figurati lapides quoque propè Thermas Bodrenses |: Bodrn: Bad: | repertifuêre.

Quidam arbitrantur provinciam hanc olim Charitum et Virtungos incoluisse; alii verò censent Helvetios Galliæ populos hic resedisse, quos dein Marcomanni expulerint. Initio nomini Comitatus fuit, qui sensim, multis auctus possessionibus et Dominiis, ad eam pervenit amplitudinem ut Ducatus esse et dici meruerit. Id factum est an. 1495. Wormatiæ in publicis Imperii Comitiis, ubi Maximilianus I. Imperator spectantibus omnibus Imperii Principibus, D. Eberhardum Seniorem Wirtenbergicum Comitem Ducem creavit, atque ejusque capiti pileum Ducalem propriis manibus imposuit.

Anno 1519. Suevia Foederati Ulricum Ducem Wirtenbergium, quòd Reutlingam Imperii Urbem armis invasisset et occupasset, Ducatu suo expulerunt, quem an. 1520. pro quadam pecuniæ Summa, quæ bello Suntius compensarentur, Carolo V. Imperatori vendidêre, qui an. 1521. idem fratri Slo Ferdinando in feudum tradidit, quem tamen idem Dux Ulricus autoritate Francisci I. Galliæ Regis et Philippi Hassiæ Landgravii recuperavit, ea tamen lege, ut idem nonnisi tanquam Domûs Austriacæ subfeudum possideret. Ducatus iste Status habet tribus Ordinibus comprehensos, Prælatis nempè, Nobilibus, et Urbibus una et popularibus.

Insolæ mores gerunt Germanos, nullum apud eos, sive quoad amictum, sive quoad domos et hortos luxus et pompa. Omnes, paucis duntaxat exceptis, Lutheranismum profitentur, à cujus exordio Duces Lutheranos habuêre usque ad an. 1733. quo Principem Romano-

Catholicum nempè Carolum Alexandrum, qui anno proxime 1712. Religionem Catholicam amplexus fuerat, habere coeperunt, cui an. 1737. 12. Martii subita morte è vivis subtracto coepto succesit filius natu maximus Carolus Eugenius mundo editus an. 1728. 11. Feb.

In bellis, quæ Gallia adversùs Imperium hoc et priori Seculo gessit, Ducatus iste multa adversa passus est, eique, præter alias graves exactiones, à Gallis ingens pecuniarum vis imperata soepiùs fuit. Hîc notari merentur

Nach Zedler Stuttgart 1744

jò Stutgardia |: Stûtgard Stûttgard :| Ducatûs Wirtenbergici Metropolis et Sedes Principum illius sita in plaga amœnissima, ubi fermè nonnisi horti et îis contigua ædes, necnon ultrà mille vinetorum jugera conspiciuntur, tribus miliariis ad Aquilonem à Tubinga, et uno ad Occidentem à Necaro, sub gradu long. 29. m. 2. Lat. 48. m. 42. Totius provincia centrum fermè occupat. Nomen illius Teutonicum est, illudque ab Equariâ, quæ germanicè Stûtterey dicitur atque olim ibi fuerat, accepisse videtur; enimverò ostenditur olim locus, in quo urbs nunc est, nonnisi villa sive colonicum erat, in quo equæ velut in horto alebantur.

Rudolphus Marchio Badensis anno 1119. locum hunc urbem fecit, quam Joannes Comes Wirtenbergensis circà an. 1138. vel 1141. Annâ dicti Rudolphi filiâ in matrimonium acceptâ sibi suâque posteritati asseruit. Anno 1286. Imperator Rudolphus Habspurgicus eidem muros addidit. Tandem à Comitibus et Ducibus Wirtenbergiis ad eum, in quo nunc est, Statum adducta fuit. Munita non est, binâque Suburbia, quæ illi junguntur, latis amplam efficiunt. Per Septem portas in eam patet aditus: plateas habet longas et utcunque rectas. In ea, destructo veteri palatio Ducali, ante annos aliquot novum exstitutum est, idque splendidum et magnificum: in ido sunt Armamentarium veteribus et novis armis, necnon equiriorum armaturis, p. p. probè instructum, ut et Pinacotheca, quæ permulta pretiosa et rara exhibet, necnon elegans Nummophylacium. Palatio adhæret viridarium

amplum et magnificum. Ecclesia principali, quæ ante Lutheranismum Collegiata fuit, præest Præpositus, cui omnes totius Ducatûs Parochi et Præcones subduntur. Adfuit etiam Ordinis Prædicatorum S. Dominici Monasterium, quod itidem Lutheranismus pessumdedit.

Stutgardia bina equiria celebrata fuêre, primum anno 1436. cui interfuêre quinque Principes, viginti quinque Comites, 19. Barones, 65. Equites, et 98. Nobiles. alterum an. 1484. adfuêre quatuor Principes, 12. Comites, 19. Barones, et 209. Nobiles.

Urbs hæc tota Lutherana est. Attamen anno 1713. Calvinistis liberum religionis suæ exercitium in ea concessum fuit, faultaque data sibi Capellam extruendi.

Bello fata etiam fuit experta, an. 1634. Galli eam occupavêrunt, qua occasione multùm afflicta fuit. An. 1638. Vimarienses eam potiti sunt. An. 1688. Galli repressis civibus, qui illam adversùs eos tueri conabantur, eam ingressi sunt, multóque ære mulctatam et expilatam 23. Decembris properatò descrierunt, quod Cæsarei propè essent. An. 1693. in magno fuit discrimine, à quo tamen suscepta Gallorum clientelâ liberata fuit. An. 1716. 21. Julii 40. domus in ea flammis consumtæ fuerunt.

2°. Wirtenberga |: Würtenberg :| Vetus Arx montana penè milliari ad orientem à Cantaropoli |: Canstadt :| et paulò amplius ad Euro-Aquilonem à Stutgardia, Domus natalis veterum Wirtenbergensium Comitum, totique provinciæ nomen tribuens.

Undè autem Wirtemberga Arx seu Castrum hoc dictum fuerit, varia sunt opiniones: aliqui nomen hoc derivant à Wirthone |: Würtan :| veteri quodam Alemannico Principe, qui illud constituisse, ac nomine suo Würtanberg, idest, Wirthonis montem nuncupasse dicitur. Alii volunt illud à Virtingis |: Würtingen :| antiquis Suevis populis, qui jam ante Christi natalem in hac plaga resedisse dicuntur, exitatum finisse, nomenque sortitum fuisse. Certè in alpibus Wirtenbergicis occurrit pagus, qui ab iis quoque Virtinga |: Würtingen :| dicti videtur. Alii alia comminiscuntur, quæ dum om-

ninò sint incerta, referre omittimus. Quidquid igitur de hujus Castelli nomine sit, illud tamen vetustissimum esse vel ipsa ejus Structura probit. Sedes fuit antiquorum Comitum, qui et ab eo Comitès Wirtenbergici vocati sunt; quod nomen Duces facti etiamnum ad hanc usque diem servârunt, nempe Duces Wirtenbergici nuncupantur.

Castellum hoc montanum quamplura infelicia fata sustinuit. an. 1108. à Guelpho II. Bavaria Duce oppugnatum et incensum fuit. Deindè Fridericus Luxus Sueviæ Dux et Conradi III. Imperatoris frater illo potitus est, quod Henricus Superbus Saxoniæ et Bavariæ Dux adversùs ipsos belligerans occupavit, incendit ac demolitus est. Postmodùm Sueviæ Duces illud restaurârunt, Comitesque Wirtenbergici sartum tectum conservavêrunt usque ad an. 1292. quo Adolphus Nassoviensis Imperator illud eruidit. restitutum Henricus VII. Imperator an. 1309. per Conradum de Weinsperg Præfectum seu Vicarium Sueviæ non modò destrui, sed et omnia, quæ in eo reperta fuêre documenta posfodari curavit. Tertiò denique à Ducibus readificatum fuit ac probè munitum. Tandem an. 1519. Sueviæ foederati Ulrico Ducæ Principatu suo exturbato Castrum hoc demolitì sunt. Sicque diu vastum jacuit; attamen post tot exantlata fata et natalis hæc Wirtenbergicæ Stirpis Domus utcunque restaurata fuit, atque interdum à Ducali forestario inhabitatur; parietesque numerosum suorum vetustatis ipsius testium adhuc retinet.

3°. Cantaropolis |: Canstadt, Cannstadt, Canstat, olim Candistat :| urbs exigua adjacens Neccari sita tribus milliaris quadrantibus ad aquilonem à Stutgardia in amœno et fertili solo. Quidam arbitrantur illam Germanicum nomen sumsisse ab his abbreviatis vocabulis C. Ant. Stat. idest, Caji Antonini Stativa, quòd, prout conjectura est, quædam Romanorum Caterva sub memorato Cajo Antonino hic castra habuerit; ex quibus abbreviatis vocabulis postmodùm Canstat prodierit. Verùm difficilè admodùm evinci potest Romanos ante Alemannorum tempora ab hac plaga in Germaniam irrupisse; verisimilius videtur id illis Romanorum Legionibus convenire, quæ ad tuendos extimos Imperii fines in hac plaga collocatæ fuerunt.

In hac urbe vehicularium munus extat; Vinctis

Württ. Naturalien-Sammlung
in Stuttgart

Stuttgart, 2. X. 1926.

H 193.

Sehr geehrter Herr!

In Erwiederung Ihres sehr geehrten Schreibens vom 1. X. 26. kann ich mitteilen, daß Memminger in der Oberamtsbeschreibung von Cannstatt 1832 S. 46 einen großen Fund von Mammutresten in Cannstatt vom Jahre 1700 erwähnt. Ein Teil der Fundstücke befindet sich heute noch hier in der Württ. Staatl. Naturaliensammlung. Den Originalfundbericht hat O. Fraas in den Jahresheften des Ver. f. vaterl. Naturkunde in Württ. veröffentlicht (Die Mammuths-Ausgrabungen in Cannstatt im Jahre 1700. Jahrg. XVII. S. 112.).

Als Fundort gibt Memminger die gegen den Galgenrain hinlaufende Anhöhe in der Nähe der Ulfkirche an. Es wurden später am angrenzenden Seelberge noch dann und wann kleinere Funde gemacht. Als Fehr eines weiteren bedeutenden Fundes wird dann erst wieder 1816 genannt. Somit dürfte Cartier wohl die Ausgrabung von 1700 meinen. Weitere Literatur ist von Memminger in der Oberamtsbeschreibung von Canstatt doch 48 angegeben.

Bei der Ausgrabung von 1700 handelte es sich hauptsächlich um Mammutreste, denen solche von Nashorn, von Höhlenhyäne, Wolf, Löwe(?) u.s.f. auf

Bemerk. Kann ich noch eine genauere Liste liefern.

Mit ausgezeichneter Hochachtung

Dr. F. Berckhemer,
Leiter der zoolog. Abteilung.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

ingitur, quæ vinum exquisitum dant. An. 1688. et 1693. Galli idem, quanvis ingeratas pecunias solvisset, inclementer admodùm habuerunt. Initio præsentis Sæculi hîc miræ magnitudinis ossa fuerunt effossa, quæ Stutgardiam in Ducale Technophylacium perlatâ fuêre. Eruditi nondum convenêre an ipsa naturæ ludus sint aut et fossilia sint, quod verisimile est, an verò Diluvii reliquiæ.

4°. Weiblinga |: Wriblingam, Wribling:| Urbs exigua cum veteri Arce ad Remsiam |: Rams:| fluvium posita tribus milliaribus ad Euro-aquilonem à Stutgardia.

Nidam arbitrantur eam fuisse Superioris Germaniæ Regum Metropolim, quam Attila exiderit, Clodovæus verò Francorum Rex restaurârit. In ea quoque Imperator Carolus Crassus Imperii Comitia celebrasse dicitur. Castrum, quod ei imminet, olim Suevia Dunum Sedem fuisse ajunt, in eóque Conradum III. Imperatorem primam hucm vidisse. Sunt, qui velint ab hac urbe Gibellinorum nomen prodiisse, ajunt enim, quòd, cùm vel ipse Conradus III. vel ipsius Frater Fridericus an. 1140. cum Welfone Henrici cognomento Superbi Saxoniæ et Bavariæ Duis fratre prælium mire pararet, pro Symbolo vocem hanc Weiblingen |: Weiblinga:| sumserit, unde factum, ut omnes, qui in hisce belli tumultibus partes Imperatoris tuebantur, Wiblingos |: Wiblingas:| vocati sint, quos deinde Itali, vocabulum hoc rectè pronuntiare haud valentes, gibellinos dixêre. Verum Nos alibi paulo aliter rem hanc retulimus.

Urbs hæc an. 1634. post prælium Nordlingense cùm se adversùs Cæsareos tueri vellet, abyssis in cineres redacta est ita, ut nonnisi quinque domus remanserint incolumes.

5°. Marpachium |: Marpach, Marbach:| Urbs ad Neccarum sita milliari et quadrante ad Septentrionem à Weiblinga. Circà an. Chr. 278. Sub Valerio Probo Imperatore exordia sumsisse. nomen Ara Martis à Romanis vocatâ dicitur, quòd ibidem Bello Deo Marti Sacrificia obtulerint, undè Germani Marpach effinxerunt; hujus rei fidem quodammodò facere videntur antiquæ lapides et Inscriptiones, quæ haud procul ab hac urbe in Neccaro fuerunt inventæ.

Alii è contrà memorant in hac ora quamplurimos latrones et latrones demoratos fuisse, quorum gehenna seu spelunca etiamnum adhuc superest, à quibus Urbs haec germanicè Mordhof quasi latronum domicilium vocata fuit, ac tandem Marbach. Cùm an. 1312. in hac regione Templariorum ædes dirueretur, idem fatum Arx, quam hi habebant, experta fuit.

Exacto è suis ditionibus per Suevici Circuli Foederatos Ulrico Duce Wirtenbergico Marbachium Imperatori traditum est, quod postmodum idem Dux una cum toto suo Ducatu denuò recepit. An. 1693. 7. Julii Galli illam Urbem hanc expilarunt et incenderunt ita, ut nonnisi tres parvæ vilesque domus flammas evaserint; quæ deinde satis elegantèr restaurata fuit.

6o. Oberstfelda 1: Obrosstfeld sive Obristfeld :| Oppidum simul et antiquissimum olimque immediatum ac liberum Imperiale Canonissarum Dioecesis Herbipolensis Collegium, quod ab ipso Oppido Oberstfeldense nuncupatur. Situm est ad Bottvarum 1: Bottwar :| fluvium 2. miliariis ad Austrum ab Hailbronnâ, et uno ad Septentrionem à Bottvaro exiguâ Urbe. Olim Sanctimonialium fuit Coenobium an. 994. ut quidam volunt, ab Othone III. Imperatore, vel ut alii autumant, ab Othone quodam Suevia Regulo, vel ut aliis placet, à Nobili quodam Beihlsteinensi, vel denique ab aliquo Bottvariensi Comite fundatum; Sunt, qui illud primùm an. 1016. conditum fuisse dicunt.

Nobilium istud Virginum Collegium adhuc an. 1559. in qualicunque Statu suo mansit liberum, et ab infestationibus Lutheranorum immune; at postmodùm eandem, ac reliqua Ducatûs Wirtenbergici Monasteria, sortem habuit, ipsaque Heroidum illius Domicella penitùs eliminata fuerunt. Equidem an. 1630. Autoritate Ferdinandi II. Imperatoris denuò restituta fuerunt, at an. 1648. si placuit Westphalicæ loco cedere compulsa fuerunt. Modò illud imolunt nobiles Lutheranæ virgines sub ejusdem religionis Abbatissâ.

7o. Lauphanium sive Lauphaimum 1: Lauffan :| Urbs exigua una cum Arce ad ripam Nisi et in colle posita duobus penè miliaribus ad Austrum ab Heilbron-

nâ. À Romanis initium sumsisse et à Valerio Probo Imperatore circa an. Chr. 278. exitata dicitur, necnon Augusta Vindelicorum vocata. Vulgus deinde à præcipuo cursu, quo hîc, Vienus fluit, eam Lauffam nuncupavit.

Olim duæ arces hîc erant, quarum muri adhuc extant; illarum unam Henricus II. Imperator sociato sibi Henrico Episcopo Herbipolensi à Comitibus de Rotenburg circa an. 998. vel 1003. Cœnobium fecit, quod primùm incolîre Moniales Ordinis S. Benedicti, dein Ordinis Prædicatorum S. Dominici, ac demùm ab an. 1466. vel 1476. Ordinis Præmonstratensis, quæ an. 1536. ab Ulrico Duce prædiis et reditibus suis spoliatæ fuerunt, ipsumque Monasterium postèa extinctum.

Lauphania an. 1274. mœnibus cincta fuisse dicitur. An. 1519. Circuli Suevici fœderati illam cepêre. An. 1534. iterùm propè cum gravi præjudicio Duce Wirtenbergicus iterum illâ potitus est. Sequenti demùm 30. annorum bello primùm Cæsareorum facta est, post Gallorum, quibus Cæsarei et Bavari demùm illam eripuerunt.

8°. Hailbronna, Alisum, sive Fons Salutis |: Heilbronn, Hailbronn, Heilbrunn :| pulchra, celebris, comta, necnon libera Imperii Urbs ad ripam Neccari sita duobus fermè milliaribus ad Septentrionem à Lauphania, sub gr. Long. 27. m. 50. Lat. 49. m. 10. in amœnâ et fertili plagâ, quam varii fontes irrigant, vineæque exornant. Circulorum Sueviæ, Franconiæ et Rheni Superioris Urbs limitanea est.

Initium suum Carolo M. debet, is circa an. Chr. 800. hîc venationis oblectamenta capiens fontem invenit, quo multùm refrigeratus est, quemque postèa frequenter adiit, ac tandem eo loco Sacellum construi curavit quod, præcipuè propter fontis salubritatem, Fons Salutis |: Heilbronn :| vocatum fuit, qua voce corrupto latino Hailbronna reddita est. Locus mox in pagum crevit, quem deinde Henricus IV. Urbem fecit, Friderius II. admodùm ampliavit, necnon altis mœnibus et turribus instruxit; ac demùm Conradus III. Urbem liberam et Imperialem dixit. Multis postèa iisque præclaris à subsequentibus Imperatoribus donata fuit privilegiis. Sub finem præteriti sæculi septem lapideis propugnaculis illius munitiones auctæ fuerunt, ac propè eam Cæsarei numero circi-

ter 20000. Sub Ludovico Marchione Badensi castra metati sunt, quæ vallo tum opportunè ipse munivit, ut Galli sub Delphino cum 70000. advenientes Cæsareos adoriri non ausi fuerint. An. 1734. Item Galli Philippopolim obsiderent, Cæsarei sub Eugenio Sabaudiæ Principe hîc castra habuêre.

Sub finem Sæculi XIV. Heilbronnæ pestis diræ grassata est, quæ 1600. animas interemit. An. 1525. ad Lutherana sacra accessit. Eodem an. Rustici Anabaptistæ Lutheranismi progenies illam occupaverunt, necnon Carmelitarum Cœnobium extrà muros positum exûderunt, quod deinde an. 1632. Sueci funditùs everterunt. Nec hactenus restauratum fuit; interim Patres Carmelitæ privatas in urbe ædes inolunt, necnon in templo Domicilii Equestris Ordinis Teutonici sacra faciunt.

Anno 1631. Heilbronnenses Regem Sueciæ ultrò susceperunt; tùmque Sanctimoniales Ordinis S. Claræ rarum constantiæ et pietatis præbuêre exemplum, omnibus enim modis tentatæ, necnon plusquam barbarè et inhumaniter vexatæ, quò ad Lutherana sacra traherentur, acerbissima quæque potiùs perpeti maluerunt, quàm ut à proposito fidei Catholicæ dimoveri se passæ sint. Tandem an. 1634. advenientes Cæsarei Urbem pactis conditionibus obtinuerunt, tùmque pientissimæ Virgines illæ in suum Monasterium, ex quo priùs immaniter expulsæ fuerant, denuò reductæ fuerunt, in quo hactenus tranquillè Deo serviunt subimmediata directione P. Provincialis Franciscanorum Discalceatorum provinciæ Argentinensis.

Gloriatur etiam antehac Heilbronna FF. Minorum Ordinis S. Francisci Cœnobium, quod primùm incoluêre RR. PP. Conventuales, postèa verò Strictioris observantiæ Candidatis provinciæ Argentoratensis relictum fuit, qui tandem an. 1544. immaniter à Lutheranis ejecti fuerunt, ipsorúmque Cœnobium in Scholam juventutis Lutheranæ conversum.

Anno 1688. Galli Urbem hanc occupaverunt, at advenientibus Imperii copiis an. 1689. 1. Jan. denuò abeà recesserunt.

Heilbronnæ tres Junctæ portæ numerantur, Cives 1500. Hîc Nicrus ponte Sublicio jungitur, postquã an. 1691. 20. Feb. rupta glacies lapideum an. 1711. constructum abduxit. Undè autem Urbs hæc Alisum-

etiam nuncupetur, id nobis ignotum est.

9° Vimpina, Wimpina, Wimpfena, Wimpiena |: Wimpfen, Reinpfalzgrafen :| antiquissima et libera Imperii Urbs muris et turribus altis munita loco eminenti et in juvanda plaga sita ad ripam Neccari 2. milliaribus ad aquilonem ab Heilbronna sub gr. long. 31. m. i. lat. 46. m. 6. Vimpina ad montem dicit solet ad distinctionem aliis ejusdem nominis Urbis quadrante horæ ab ipsa dissita ac in valle posita, quæ Vimpina in valle nuncupatur, atque ei Suburbii loco est, et cum ipsa unam communitatem efficit.

Olim à Cæsaris conjuge Cornelia et jam ætate Valerii Probi excitata, et anno circiter 451. ab Attila Hunnorum Rege exusa fuisse dicitur. Antehac hic Cæsareum Provinciale Tribunal fuit, et an. 1539. et 1540. Camera Imperialis sedem habuit. Frequentibus incendiis, Gallorum exactionibus, et aliis belli infortuniis multùm depressa fuit. Anno 1622. 17. Maji Comes de Tilly Georgium Fridericum Marchionē Badens-Durlacensem propè illam præliis devicit. An. 1644. Galli pactis conditionibus eam obtinuerunt. pariter an. 1688. eisdem se dedidit; at anno sequenti illam deseruerunt.

Adsunt Vimpinæ Collegium Canonicorum, quod initiis Asceterium fuit pro diocesim Monachis à S. Cristolfo Episcopo Wormatiensi, qui circà an. 803. jam Episcopali fulsisse dicitur, fundatum: Hospitale seu Dominicalium Ordinis S. Spiritus: Monasterium Ordinis Fratrum S. Dominici an. 1269. ab Engelhardo de Weinsperg fundatum; necnon Capucinorum Cœnobium. Cives partim Catholici sunt partim Lutherani. q dignitate

10° Neostadium et Novostadium ad Coranum |: Neustadt am Kocher :| Urbs ad Coranum sita 2. milliariis ad Eure-aquilonem à Vimpina, et ~~totidem~~ ferè totidem ad Septentrionem ab Heilbronna. Olim Helmstadium |: Helmstadt :| dicta fuit. Communiter etiam Neostadium ad Tiliam |: Neustadt an der Linden :| vocatur propter miræ magnitudinis, quæ ibidem extat, Tiliam, cujus trunci circumferentia est 13. ulnarum, ramosque ipsa columnæ sustentant. Urbs hæc cum suo tractu usque ad an. 1742. ulnaria attributis fuit junioris et collateralis Stirpis Wirtenbergicæ, quæ eodanno decessit.

11o. Mekmuhla |: Mochamüßl, Maßmüßl, et Mosßitamüßl :| Urbs cum Dynastia ad Jaxtam |: Jaxt, Jagßt :| fluvium posita in Sylva Odonis sive Ottonia* |: Odnewald :| milliari et amplius ad aquilonem à Neostadio. Initio Comitum de Hohenloë fuit; post titulo emtionis ad Ludovicum Comitem Palatinum, Danique ad Ducos Wirtenbergenses pervenit ac Neostadiensi prosapiæ attributa fuit.

12o. Lovesteinium |: Löwenstein :| Urbs cum Castro 2. circiter milliaribus ad Euronotium ab Heilbronna. Est Domus natalis Comitum Lovesteinensium et Wertheimensium. Bina sunt horum Comitum familiæ, una quæ Vinebergensis dicitur eáque Lutherana, altera Rupifortensis seu Catholica: hanc Imperator Josephus I. an. 1711. 3. aprilis ad Principalem Imperii dignitatem evexit in personâ Maximiliani tunc Electoratûs Bavariæ Administratoris, quam postea Carolus VI. confirmavit, et ad omnes utriusque sexûs descendentes extendit. Urbs hæc Caput est ejusdem secum nominis Comitatûs. Non procul ab ea oriuntur fontes salubres eáque celebres.

13o. Stella Lucida |: Lichtenstern, Lichtenstein, et Marien Gron :| olim celebre Cisterciensium Monialium Coenobium Diœcesis Herbipolensis ad Luteram |: Lauter :| amnem situm milliari versùs Orientem à Lovesteinio, et à Lutgarde et Burghinde Principibus de Limpurg sub annum Chr. 1242. fundatum. An. 1525. à Rustici's Anabaptistis per universam Sueviam cædibus, rapinis, ferro flammâque dirissimè grassantibus et debachantibus expilatum et devastatum fuit, cùm prius Moniales Heilbronnam se recepissent. Tandem circà medium Sæculi XVI. Sub Ulrico Duce Wirtenbergico Moniales exactæ, illorumque Coenobium unà cum prædiis et reditibus fisco Ducali addictum.

14o. Murhartum |: Murhard sive Murhart :| Urbs exigua ad Murram |: Murr :| flumen posita 2. milliaribus ad austrum ab Halla Suevorum. Ædem olim celebrem fuit Benedictinorum Asceterium à Ludovico Pio Caroli M. filio circa an. Chr. 815. fundatum. Quidam tamen volunt idem jam ætate Pipini Regis stetisse, quippe cujus Carolus M. in quodam confirmationis diplomate meminit.

Sub initium Sæculi XVI. Monachi munitam abjicere tentârunt, missis ex suis, qui apud Papam Leonem X. sollicitarent, quatenus Coenobium suum in Collegium Sæculare converti permitteret: at repulsam passi fuêre.

* Silva Odonis seu Ottonia |: Odnwald :| regio exigua arboribus consita, cujus latitudo à Nico ad Moenum porrigitur; longitudo autem à Viâ montanâ |: Bergstraß Strada Montana :| usque ad Tuberum |: Taubor :| fluvium in Franconia. Plerasque arbores, quæ in ea oriuntur, sunt quercus, fagi et betulæ.

Monasterium istud bello, rapinis, et incendiis interdum fuit afflictum. Anno item 1525. à Iustitiis Anabaptistis tumultuantibus expilatum fuit et incensum. Tandem an. 1558. illius Abbas ab Ordine et Religione factus Apostata uxorem duxit; quo facto locum avitâ Majorum religione et disciplinâ omninò destitutum Dux Wirtenbergicus sui juris fecit, quod et postmodùm an. 1648. in pace Westphalica de novo confirmatum in plenam possessionem acquit.

15° Laureacum |: Lorch vel Lauriac :| amplissimum olim Ordinis S. Benedicti Monasterium Diœcesis Augustanæ ab Urbe Gamundia uno miliari ad Caurum distans, et propè Castrum Stauffense |: Hohenstauffen :| si veterum Sueviæ Ducum Sedem Dominúmque Natalem à tumultuantibus agricolis hostiliter exustum :| in amœno colle positum. Fundatum perhibetur an. 1102. à Friderico Sueviæ et Franconiæ Duce ac ejus Conjuge Agnete. Fuit autem Fridericus iste Baro de Stauffen, cui Henricus IV. Imperator, pulso Rudolpho de Rheinfelden Anti-Cæsare, totum Sueviæ et Franconiæ Ducatum commisit, simulque generum sunum fecit. Ab illo deinceps Sueviæ Duces de Hohenstauffen dicti fuerunt.

Laureacense Cœnobium multis privilegiis ab Imperatoribus auctum semper floruit usque ad an. 1535. tum enim Ulricus Dux Wirtenbergensis ab exilio redux in illud potissimè cœpit animadvertere; tandémque an. 1563. mortuo Abbate Catholico Benedicto, Sex, qui ibidem residui erant, Monachi, cùm Catholicam religionem mutare detrectarent, expulsi fuêre, ipsúmque Monasterium unà cum prædiis et reditibus fisco Ducis adscriptum, ibidémque Abbas Lutheranus Georgius Udal constitutus, qui an. 1576. ad plures abiit.

Anno 1630. cùm edicto Ferdinandi II. Imperatoris omnia quæ sibi asseverant Lutherani, Cœnobia legitimis et antiquis possessoribus restituerentur, Laureacense seu Lorchense hoc Monasterium Abbati et Conventui ad S. Blasium in Silva Hercynia sub certis conditionibus traditum fuit, quod et ipsi tenuerunt usque ad an. 1648. tum enim vi pacis Westphalicæ denuò ad Ducem Wirtenbergicum rediit.

In hujus Cœnobii Templo tumulati perhibentur Fridericus et Agnes ejus uxor illius fundatores. Henricus Conradi III. Imperatoris filius. Fridericus Imperatoris Friderici Anobardi filius. Gertrudis Conradi III. Imperatoris conjux. Irene Imperatoris Philippi uxor. Beatrix Imperatoris Ottonis uxor, multique alii Sueviæ Duces.

16. Heidenheimium |: Heidenfheim :| Urbs cum ampla satis ditione seu territorio, in valle Brentiana |: Bren-tzer-Thal :| ad Brentium |: Brentz :| annem sita tribus circiter milliariis ad Austrum ab Ala urbe. Quidam urbem hanc Aras Flavias veterum esse autumârunt.

Olim in ea Franciscani Conventuales Coenobium habuerunt, quod Lutherani pefundederunt. Portalium Nordlingense Maximilianus Bavariae Elector toto Heidenheimensi Tractu potitus Capucinos in hanc urbem adduxit, eisque Coenobium exitavit, ut eorum operâ res catholica in ea et circumjacente regione promoveretur. At post 13. annorum Spatium, anno videlicet 1648. pax publica Caesareo-Suevica Coenobium hoc subvertit, Capucinos exegit, totumque Heidenheimense denuo territorium de novo Lutheranum fecit.

Haud procul ab hac urbe versus Occidentem extat in monte Vetus Castrum Hellenstenium |: Hellenstein :| dictum, Domus natalis ejusdem nominis Comitum, quibus ipsa et ejus Tractus paruit; iis extinctis ad Duces Wirtenbergicos emtionis titulo pervenit. In Tractu Heidenheimensi tria memorantur collocata fuisse Monasteria Scilicet Ahusium seu Anhusanum, Herbrechtingense, et Koenigsbrunnense, quae hic breviter expendimus.

17. Ahusium vulgo Anhusanum Monasterium |: Ahusen, seu Anhusen :| celebre olim Benedictinum asceterium ad Brentium |: Brentz :| flumen Situm Leucagallica ad Austrum ab Heidenheimio, Dioecesis Augustana, an. 1125. à Manegoldo Tubingensi Comite in pago Langenoviensi |: Langenau :| Ulmensis hodie Ditionis primitùs fundatum, ac postmodùm à filio suo Walthero Episcopo Augustano et Fratribus suis in hanc Brentianam vallem translatum.

Anno 1578. tertio Idus Septembris mortuo Onuphrio illius Abbate, Monachi Conventuales rationes electionis novi Abbatis coacti fuerunt compromittere in Ludovicum Ducem Wirtenbergium, eique totum electionis negotium relinquere, qui Abbatem renuntiavit Joannem Isenmann Ministrum Lutheranum; tum ejecti Monachi, Coenobiumque cum suis praediis et proventibus Ducis fisco adscriptum. . Anno tamen 1630. edicto Ferdinandi II. Imperatoris restauratum est, eidemque ex Augustano SS. Udalrici et

Aforo Coenobio Abbas præfectus est Carolus Stengelius vir apprimè eruditus et multarum librorum Scriptor; qui nonnisi ad tempora promulgatæ pacis Westphalicæ in coperstitit; tùm enim demùm fugatus ad nativum religiosæ professionis suæ domicilium redüit, ubi tandem ætate grandævus jubilæusque Sacerdos in pace quievit.

18º Monasterium Herbrechtingense |: Forbrechtingen, Forbrechtingen, Forbentingen, et Forbrotingen :| ad Brentium amnem situm 2. leucis gallicis ad Caurum à Giengа in Diœcesi Augustana. | à Friderico Sueviæ Duce, qui postèa primus hujus nominis Imperator factus, et à spectatissima sua ætate roboris barba Ænobarbus seu Barbarossa communiter appellatus est, an. 1144. octo annis antequam Imperiale Solium conscendisset, fundatum fuit pro Canonicis Sæcularibus, quibus an. 1171. proscriptis, illud Canonicis Regularibus Ordinis S. Augustini tradidit. An. 1537. Ulricus seu Udalricus Dux Wirtenbergicus illud occupavit, et an. 1546. Præpositum et Monachos expulit, quos tamen an. 1548. Carolus V. Imperator demùm restituit, ac an. 1550. Jura et privilegia ab Imperatoribus alüsque Magnatibus huic Monasterio collata auctoritate Cæsareâ per solemne diploma retinavit et confirmavit. Id tamen non obfuit, quin iterùm Monachi expulsi fuerint. Tandem an. 1630. cùm Ecclesia et Monasteria intra fines Imperii Germanici per totámque Germaniam priori Sæculo tumultuante Lutheranismo potenter erepta auctoritate Ferdinandi II. Imperatoris versi et antiquis ipsorummet possessoribus iterùm restituerentur, ad hoc Herbrechtingense Cœnobium mense Septembri nova Religiosorum colonia ex Imperiali Monasterio Wettenhusano deducta fuit, qui illud tenuerunt usque ad an. 1648. tum enim vi pacis Westphalicæ eo anno conclusæ loco cedere coacti fuerunt, Monasteriúmque Dui Wirtenbergis iterùm adscriptum est.

19º Monasterium Koenigsbrunnense, sive Fons Regius |: Königsbrunn :| olim elegans et præclarum Ordinis Cisterciensis liberum et Imperiale Monasterium Diœcesis Augustanæ. Situm propè Brentii amnis et Pfefferii |: Pfefferbr :| insignissimi pulcherrimos amplissimósque fontes, et in ipso Pfefferii rivi cum Brentio amne coitu, in amœna quæque spatiosa et altissima valle duobus ferè milliaribus ad Austrum ab Alâ.

Ab Alberto I. Imperatore cœptatum fuit an. 1303. in fundo Castri Herwartstein, quod pro condendo Monasterio idem Imperator priori anno 1302. ab Ulrico Comite de Helfenstein coemerat. An. 1536. Ulricus Dux Wirtenbergicus subficto juris Advocatiæ prætextu hujus Monasterii subditos ad præstandum sibi fidelitatis juramentum adduxit. An. 1539. defuncto Abbate Melchiore Ruff idem Dux Monasterium hoc violenter occupavit. At an. 1544. autoritate Imperatoris Caroli V. ac Ferdinandi I. Romanorum Regis, ut qui tanquam illius fundatoris veri Successores ejusdem tutelam gererent, illud restituere coactus est; tùm in Abbatem electus fuit Ambrosius Boslerus. Hic postquam per tres annos laudabiliter præfuisset, jussu Ducis captus et diu in carcere detentus tandem die 6. Aprilis an. 1554. sede dejectus est, eique alius Abbas Suffectus, qui paulò post ad Lutheranismum defecit, tumque Monasterium ipsum desolatum, Duciique additum. Attamen an. 1630. mense Septembri autoritate Ferdinandi II. Imperatoris antiquis possessoribus suis Sacri Cisterciensis Ordinis alumnis, quemadmodum alia per Ducatum Wirtenbergensem diffusa Cœnobia, plenariè restitutum, et novâ Colonia ex Imperiali Monasterio Salemitano in illud deductâ restauratum fuit et servatum usque ad an. 1648. tunc enim per adeò Monasteriis infaustam pacem Westphalicam cum omnibus præd̃is suis et possessionibus Ducibus Wirtenbergicis restitutum fuit.

20. Adelberga seu Mons Nobilis |: Adelberg, Adelberg:| Urbs exigua milliari ad Euronothum à Schorendorfio posita in peninsulâ, quæ duabus scaturiginibus pari ejusdam fluvii conclauditur, qui paulo infrà Goeppingam Filisa |: Vils:| immergitur. Intra nihil memorabile recensendum occurrit, præter Cœnobium Ordinis Præmonstratensis olim percelebre, et alibi Maidelbergense dictum, Diœcesis Constantiensis, an. 1181. à Volikmando Barone ab Comite Ebersbergensi fundatum. Illud an. 1525. Rustici Anabaptistæ tumultuantes in favillas et cineres redegerunt, quod restauratum Ulricus Dux Wirtenbergicus an. 1538. ejectis Monachis occupavit; anno autem 1548. Caroli V. Imperatoris autoritate suis legitimis possessoribus restitutum fuit.

at denuò proviptis Abbate et Monachis, illud sibi Dux asseruit teniitique usque ad an. 1630. tùm enim edicto Ferdinandi II. Imperatoris iterum reduti Monachi illud satis tranquillè possederunt usque ad an. 1648. quo pax Westphalica illud Duci Wirtenbergico adscripsit, qui et idud ejectis Monachis sibi asseruit.

21°. Schornodorfium sive Schorndorfium |: Schorndorff sive Schoorndorff :| urbs parva in valle Remsiæ ad Remsam |: Rambe :| fluvium sita milliari ad Caurum ab Adelberga. Forti juxta veterum artem vallo munita est. An. 1634. illam Cæsarei occupavêre, ac dentis tribus domibus, tota in cineres abiit. An. 1647. Gallis quoque illâ potiti sunt, ac postmodùm recepere. Ei imminet vetus Castrum, in quo est armamentarium. Ab Imperatore Friderico II. an. 1230. jus civitatis obtinuit. In ea sal abundanter dividatur.

22°. Eslinga, Eszlinga, et Ezzlinga |: Eßlingen, olim Ezzlingen :| Urbs libera Imperialis in solo fertili exquisitúmque vinum proferente posita justo milliari versùs Orientem à Stutgardia, et tribus ad aquilonem à Tubinga. Vetustissimam esse indè colligimus, quòd Carolus M. in quodam Diplomate in favorem Volradi quondam ibidem Ecclesiæ S. Dionysii Abbatis edito illius meminerit, ac Eszlingam vocet. Postmodùm adeò aucta fuit, ut Henricus IV. Imperator an. 1077. in ea Imperii Conventum habuerit, undè causis fuit Friderico II. illam an. 1215. muris et turribus cingendi. In illa quoque plures penè Conventus Imperii, Circulorum, et Urbium acti, necnon ludicra certamina seu ludi Troja, celebrati quàm in alia quavis Germaniæ urbe, celebrata fuisse memorantur. Etiam an. 1555. Camera Imperialis ut et Imperii Regimentum "huc" translata fuêre.

Eslinga an. 1360. Carolus IV. Imperator Comitia Imperii celebravit, tùmque Cives adeò tumultuati sunt, ut Imperator agrè ad Comitem Wirtenbergicum se recipere valuerit. Injuriam hanc ultorus eidem Comiti executionem in Cives, utque ab eis poenas sumeret, demandavit. His igitur urbem obsedit, et 100000. florenorum à Civibus extorsit. An. 1701.

Prætorium iná cum 200. ædibus in flammas abiit, quod deinde satis elegantèr reædificatum est.

Eslinga jam à multis annis sub tutela Ducis Wirtenbergici Stat. Ei tria junguntur Suburbia. Cives, præcipuè autem Magistratus, Lutherani sunt. In ea olim fuêre Monasteria Dominicanorum, Eremitarum S. Augustini, Fratrum Minorum Conventualium Ordinis S. Francisci, ut et Monialium Ordinis S. Claræ; SS. quæ omnia novum Lutheri Evangelium pessum dedit.

23º Denkendorffium |: Tanchandorff :| Lusudam amplissimum Constantiensis Diœcesis Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis S. Sepulchri Imperiale Cœnobium fundatum an. 1124. à Berchtoldo Comite de Erlickheim, ac eodem anno ab Honorio Papa II. et an. 1139. ab Imperatore Conrado II. seu potiùs III. confirmatum, leucâ gallicâ versùs austrũ ab Eslinga, et tribus ad Euronotum à Stutgardia dissitum.

Advocatos habuit ab Imperatoribus constitutos Duces Wirtenbergicos, inter quos Ulricus, qui primus Lutheranismum professus est, Cœnobium istud omninò profanavit. Sublato autem bello Schmalcaldico rursum Religiosis Canonicis attributum est, ac Præpositus illius Udalricus plenè restitutus; huic ob provectam jam ætatem coadjutor datus est Bartholomæus Kös, qui et ei successit an. 1555. Hic sibi ministerii sui Sociam jungere cupiens à Christophoro Duce Wirtenbergico petiit et obtinuit, ut servata Monasterii sui Præpositura uxorem ducere posset, sicque in Denkendorffium Lutheranismus introductus est: et quamvis à 1630. restitutum antiquis suis possessoribus fuerit, pace tamen Westphalicâ Ducis ad profanos usus, exturbatis Religiosis, relictum fuit. An. 1713. hîc novus ludus litterarius pro 25. alumnis apertus est.

24º Goeppinga |: Göppingen, Greppingen :| Urbs angusta cum arce sita ad filisam |: Vils :| fluvium 3. milliaribus ad orientem ab Eslinga. Fridericus Monoculus Sueviæ Dux illam circà an. 1125. exstruxisse dicitur. an. 1360. ab Augustanis et Constantiensibus adversus illam fœderatis obsessa fuit. an. 1519. Ciruli Suevici fœderatis se dedidit, postquam se una die et nocte defendisset. Proximè ad eam occurrunt cele-

bres acidulas, quæ Stomacho et hepati medentur.

25ò Ova |: Owen, Ow, vel Dühen :| parva sed antiqua Urbs ad Lutteram |: Lautra :| amœnè in jucunda pratensi et nucibus aliisque pomiferis arboribus consita valle sita 2. Leucis Gallicis à Nirthinga. Jam Ethnicorum ætate exstitisse dicitur. In ea etiam Duces Teccenses residerunt curiamque habuerunt. Ei jungitur Suburbium, quod amplitudine illam superat.

Anno 1385. Urbem hanc Fridericus Dux Teccensis Comiti Wirtenbergico vendidit. Olim in ea fuit Monasterium Canonissarum Ordinis S. Augustini, quod, ultima illius Sanctimoniali an. 1570. è viris erepta, Sino Ducis Wirtenbergici additum fuit. Illius Ecclesia adhuc extat, in cujus choro subdito lapide ossa tredecim Ducum Teccensium recondita jacent.

Urbi huic è monte imminet vetus vastumque Castrum Tecca |: Techa :| nuncupatum. Nomen accepisse dicitur à Tectosagis antiquis Galliæ populis, qui in hac ora residerunt. Castrum hoc Domus Natalis fuit Comitum postea Ducum Teccensium, quorum Sepultura aliaque monumenta adhuc hodie in eo supersunt. Ducibus his extinctis illorum Ducatus ad Comites Wirtenbergenses, cujus mediam partem jam an. 1379. et 1385. Eberhardus IV. emerat, totus pervenit; unde et an. 1493. in Comitiis Imperii Wormatiæ celebratis Maximilianus I. Imperator iisdem Ducibus facultatem dedit etiam Speciatim titulum, insignia et nomen Ducum Teccensium usurpandi.

26ò Nirtinga |: Nirtingen, Nirtingan, et Nirtingan seu Nürtingen :| Urbs et Castrum sita ad ripam Nicri, qui hîc ponte Lapideo jungitur, duobus milliaribus ad Euro-Aquilonem à Tubinga.

Circà An. Chr. 278. Urbs hæc exstitata dicitur ab Imperatore Valerio Probo, atque Tinga vocata. In quodam non procul ab ea Templo cernitur vetus Ethnica pictura, quæ id testari videtur.

Ab Attila devastata, incensa et solo æquata fuit. Tum Sequenti ævo illius loco hæc, quæ modò superest, exstitata fuit, et Nova Tinga |: Neutingen :| nuncupata, ex quo nomine postmodùm Nirtinga |: Nirtingen :| exortum est. Centrum Urbis occupat Castellum Ducale, in quo Varia Duces Wirtenbergica viduitatem suam transegerunt. An. 1693. Urbs hæc non pro-

cul ab exitio suo fuit, enimverò Galli suabus suntarat
cenuis gallinis abea abfuerunt; attamen adhuc insolu-
nis servata fuit.

27°. Ala Flavia, Ara Flavia, Artaunum et Uracu
|: Rauarf vel Uoarf :| Urbs exigua et munita ad Ermsian
|: Ermb :| flumen sita 3. miliaribus ad Orientem à Tubinga.
Castro optimo protegitur, eique aliud adhuc è mon-
te immineat, quod Altum Uracum |: Hohen Auarf :| vo-
catur.

Anno 1635. Cæsarei illam occupaverunt, et an. 1649.
Duci restituerunt. Antehac Caput Comitatus
fuit, cujus possessores Supremi Sacri Romani Impe-
rii Venatorum Magistri hereditarii fuerunt; Ber-
chtoldo et Conrado Comitibus Uracensium Comitum
ultimis circa medium Sæculi XIII. sine herede de-
functis, Comitatus iste ad Eberhardum I. Comitem
Wirtenbergicum, qui Berchtoldi Sororem duxe-
rat devolutus est, ac illum ad suos posteros trans-
misit.

q Seu rei venatoriæ Præfecti

Uraci olim fuit Collegium Canonicorum Secula-
rium de communi vitâ nuncupatorum, quod Apos-
tolorum exemplo omnium rerum abdicatâ proprie-
tate Socialiter in communi sub uno Præposito vi-
tam agerent. Collegium hoc Eberhardus Senior
ab ipso an. 1478. fundatum an. 1482. Herenbergam
transtulit. Propè Eulesiam Parochialem
fuit etiam Monasterium, quod adhuc circà an.
1590. muris et Structuris suis constitit integrum.
Sanctimoniales Ordinis S. Dominici hîc etiam Con-
ventum habuerunt, item Sororibus tertiæ S. Fran-
cisci Regulæ Domicilium fuit. Quæ omnia Luthe-
ranismus delevit.

Uracum Sedes etiam fuit junioris Ducum Wir-
tenbergensium familiæ, donec universo Regio-
nis adunicum Principem redüt.

Propè hanc Urbem extat vetus Monasterium
Carthusia dictum an. 1450. à Ludovico Seniore Comi-
te Würtenbergico fundatum. In eo Liber Bar
de Ungnad suam Venedorum librorum |: seinro
Wendischen büchern :| typographiam habuit.

28°. Wiesensteigium |: Wiesensteig seu Wissensteig :|
Urbs cum Castro ad Scaturiginem fluvii |: Vils :| fluvii

in valle, quem montes excelsi cingunt posita duobus fere milliaribus ad Septentrionem à Thermis Boderensibus, et totidem ad Euro-Aquilonem ab Uracu.

In ea olim fuit Benedictinorum Monasterium an. 861. ab Ethicone seu Attilone Warini de Stirpe Guelphorum Principis filio fundatum, quod postea in Seculare Canonicorum Collegium conversum fuit, cujus magnifica Ecclesia S. Cyriaci nuncupata an. 1648. unà cum tota Urbe, ~~incendio periit, bellum perolegans Castrum Servatum obtinebant~~ injecto à Suecis igne, incendio periit, solúmque elegans Castrum Servatum est insolitum.

Gloret adhuc in hac Urbe Claustrale domicilium Virginum tertiæ Regulæ S. Francisci ab Ulrico Comite de Helffenstein an. 1598. 10. Novembris, collocatis in eo Sanctimonialibus illis, quas Geislingenses, adoptato Lutheranismo, Urbe sua ejecerant, fundatum.

Wiesensteigense Caput est Comitatûs ab ipsius nomine Wiesensteigensis aut Wiesensteigiensis dictus. Juxtà Filisam situs est inter Ulmensis Urbis territorium et Ducatum Wirtenbergicum, seu potiùs in ultimis hujus Duratûs finibus. Ad Occidentem et præcipuè ad Meridiem Silvis abundat, ad Septentrionem verò montosus est. Vix ad duo milliaria in quadro protenditur.

Olim Duces Teccenses Comitatum hunc seu Dynastiam possederunt, ac postmodum Comitibus de Helffenstein in feudum traditisse dicuntur; id inde haud obscurè colligitur, quòd, ubi Ulricus ultimus Duc Teccensis imperoles decessisset, Eberhardus Comes Wirtenbergicus, cui an. 1417. hujus Ducis Soror Judith nupserat, hereditatis titulo et uxorio nomine illius possessionem adierit, remanente tamen Comitatu isto penes Helffensteinenses Comites, quorum ultimus Rudolphus Jan. 1627. fatis functus esset, quam Maximilianus I. Elector Bavariæ hujus ditionis, quæ ipse et antecessoribus suis pro variis pecuniarum Summis oppignorata erat, possessionem cepit, nequicquam reclamante Duce Wirtenbergico tanquam Teccensium Ducum, à quibus Comites de Helffenstein Comitatum hunc velut Feudum tenuerant, hærede et Successore legitimo.

Principes Fürstenbergii etiam hujus Comitatûs partem aliquam hactenus possederunt, quam ante aliquot annos Princeps Josephus Electori Bavariæ pro certa quadam pecuniarum Summa reliquit, adeò ut nunc Electus Elector eidem solus dominetur.

29ò Blaubura, Blauburnium, Blaubyra, Blabyrì-
um, Blubira, et Burhonium |: Blaúbrùorn vel Blaú-
bùorn :| Urbs sita ad Blaurum |: Blaú :| amnem ubi Acha |: Ach :|
in idem influit, 2. milliariis ad Occidentem ab Ulma ubi
Alpes incipiunt.

Huius ædificationis occasio fuit celebre olim Benedicti-
norum Coenobium, quod intra muros illius extat, ab An-
selmo Comite Palatino Tubingensi an. 1093. fundatum et ab
Urbano Papa II. an. 1099. confirmatum.

Anno 1562. jussu Christophori Ducis Wirtenbergiæ in
hoc Coenobio antiquata fuit religio Catholica, Abbasque,
Prior et Cellerarius ad Castrum Urachense. Iuti ibidem.
Divæ custodiæ mandati fuerunt, novúsque Abbas Luthe-
ranus Doctor Matthæus Aulber constitutus. At
anno 1630. Ecclesiis et Monasteriis Wirtenbergensibus
auctoritate Ferdinandi II. Imperatoris passim restitutis,
nova etiam Religiosorum virorum colonia ex Imperiali
Asceterio Weingartensi huic Blaburensi Coenobio im-
migravit, cui cum titulo et potestate Abbatis præfuit Rey-
mundus Rembold Patritius Augustanus Coenobita Wein-
gartensis, undè an. 1648. pace Westphalicâ iná cum
suis Monachis disturbatus est, Monasteriúmque à Luthe-
ranis in Ludum Litterarium conversum, in quo 20. alun-
tur alumni, quibus Abbas Lutheranus, et duo Præcepto-
res præsunt. Blaubura Caput est ejusdem Se-
cundæ nominis Dynastiæ.

30ò Altum Duellium, Duellum, Duellium, Tuela,
et Alta villa |: Hohentwirl vel Hohen Twirl :| antiquissi-
mum et celebre Castrum seu numimentum in Hegovia*
seu in finibus Landgraviatus Nellenburgensis et in alta re-
pe positum, quam amœna planities ambit, verùs la-
cum Bodamicum 2. milliaribus ad Euro-Aquilonem
à Scaphusia.

* Hegovia, Hegoja seu Hegoea |: Hó-
gów, Hegow, seu
Hegau :| regio in-
ter Danubium, La-
cum Arsonium et
Rhenum sita; Sex
milliaria longa et
lata, in qua mul-
ta Arces, Comitatus
et Dominia conti-
nentur. Vini et
frumenti fertilis
est. Iam Saulo
VIII. sub hoc nomine
nota fuit, ac in tes-
tamento Caroli M.
fit illius mentio.
Olim Comites hu-

Antiquitùs Sedes fuit Alemannicæ Ducum, quorum Bur-
kardus I. ejusque Uxor Hedwigis Rudolphi Burgundiæ Regis
filia illud in Coenobium Benedictinum convertit, quod
postmodùm circà an. 1005. Stenium |: Stein :| ad Rhenum
Urbem in Helvetia et modò Tigurinæ ditionis translatum
fuit, ubi sub nomine S. Georgii floruit.

Tùm Duellium præstantissimum evasit numimentum,
quod circumposita regioni pro propugnaculo est. Nullo
quidem valle sed validissimis muris instructum est; illius
ambitus horæ quadrantem ferè æquat; in eoque sunt
præstantes Cisternæ Saxo incisæ. Longiùs à viâ Regiâ
positum est, quàm ut potentem hostem remorari aut cohi-
bere valeat; id duntaxat efficit, ut nempe circumjacen-

tes populi in officio contineri possint; ac bello ingruente tutum est quarumcunque rerum receptaculum, ipsique Wirtenbergii Principes belli tempore archivum suum et alia pretiosa hic asservari curant.

fenses in ea ditiones et praedia sua habuerunt. Modò potiorem illius partem Comitatus Nellenburgensis efficit.

Anno 1570. Ulricus Dux Wirtenbergensis momentorum hoc propugnaculum à vidua de Klingenberg titulo emtionis obtinuisse dicitur, at id antea evenisse debet, vel diu post. Jam enim an. 1519. idem Dux Ulricus Ducatu suo exturbatus ad Regem Gallia se receperat, penesque per 15. annos, scilicet usque ad an. 1534. quo ejusdem Regis et Philippi Hassiae Landgravii armis restitutus est, manit. Quis autem credat, Ducem hunc in exilio constitutum et velut ad inedias redactum de emendo hoc Castro vel cogitasse, aut Sueviae Foederatis hostes suos id permisisse? alia igitur hujus emtionis epocha auctoribus nostris figenda videtur.

In triginta annorum bello Caesarei aliquoties Castrum hoc adorti sunt, sed semper irrito conatu. Ubi verò post pugnam Nordlingensem iidem Caesarei universum Wirtembergensem Ducatum inundaverunt, Dux pacem ab Imperatore petiit et obtinuit ea tamen, inter alias, conditione, ut Ducatum Domui Austriacae extraderet; proinde hujus Castri Praefectus Chiliarcha Widerhold à Duce jussus ut Austriacis illud relinqueret, huic obedire renuit, causatus Ducem ad id compulsum fuisse, unde teneri se propugnaculum hoc Domui Wirtembergicae servare inviolatum: cumque vi pacis Westphalicae Dux in omnes sui Principatus regiones et loca restitutus fuerit, unà et Ducatum retinuit.

3io. Zwifaltum, Zwifaltaha, seu Monasterium Zwifaltense |: Zwirfalten, Zwirzfalten, Zwirzfaltaf, at Zwirzfalten :| celebre, Immediatum, Imperiale Ordinis S. Benedicti Monasterium Diocesis Constantiensis, an. 1088. pro Iudeum Monachis ex Hirsaugia advectis fundatum à Comitibus de Achalm Luithold et Cuno ne germanis fratribus. Situm est s. leucis Gallicis versus Occasum à Reutlinga non procul à Danubio in Alpibus Sueviis. Propium istius Latinum nomen est Bapluquium vel Ad Duplices aquas à duobus rivis ipsum perfluentibus et in eo confluentibus Derivatum.

Primi hujus Monasterii Advocati fuere Duces Bavariae Welphones, postea Comites de Rohenberg, item Successu temporis et ab an. 1288. Comites Emerkingenses, tum ab

anno 1303. per ducentos et quinquaginta penè annos Archiduces Austriæ, qui interdum hujus Monasterii Advocatiam per aliquot duntaxat annos ipsorum nomine exercendam Comitibus Wirtembergensibus tradiderunt: Hi ea occasione universum Advocatiæ hujus jus tandem sibi asciverunt, ac veluti sibi proprium et hereditarium vindicârunt, Abbatibus, quod damnum indè Monasterio suo impendens non satis, prout par erat, prævidérent, id ultrò permittentibus. Comites itaque ultrò progressi Monasterii bona sibi propria facere tentârunt, sicque ex Advocatis et Tutoribus tandem raptores facti sunt, eóque res abipsis perductæ fuerunt, ut Monasterium vacuum et inane Immediati Imperialis Asceterii nomen retinens nec amplius sive ad Imperii sive ad Sueviæ Circuli Comitia vocatum fuerit, aut comparere ausum sit Principibus Wirtembergicis silicet illud ibidem repræsentantibus: Donec tandem ante annos aliquot inita cum Duce Wirtembergensi transactione ab hac dura Servitute solutum ac pristinæ libertati restitutum fuerit, necnon jura omnia Immediatæ ac Imperiali Statui competentia recuperârit, votúmque et Sessionem sive in Imperii sive in Circuli Sueviæ Comitiis denuò obtinuerit.

Porrò Duplaquii semper floruerunt et etiamnum adhuc florent viri tùm religione tum eruditione clarissimi. Inter alia celebratur hujus Cœnobii Ecclesia magnis sumtibus recèns exstructa, ut quæ, sive amplitudinem sive magnificentiam spectes, nulli per totam Germaniam secunda videtur.

32° Offulinga |: Offülingen seu Offülingen :| Oppidum Urbis jure gaudens una cum Arce Ducali ad Echez fluvium milliari versùs Austrum à Reutlinga positum. Hîc olim fuit longè celeberrimum Ordinis S. Claræ Barthenium Diœcesis Constantiensis à Mechtilde et Irmula cognomento Remginis |: Ramgan :| an. 1250. fundatum, variis privilegiis et immunitatibus à Summis Pontificibus et Imperatoribus donatum. Floruit usque ad annum 1540. tunc enim 2. Maji Sanctimoniales primùm è suo Monasterio exutæ Leobergam jussu Ducis Ulrici deductæ sunt ac Franciscanorum Cœnobio, a quo ipsi jam exturbati fuerant, inclusæ. Illo fatis functo filius ipsius Christophorus, urgente Carolo V. Imperatoris mandato, an. 1551. Sanctimoniales has equidem Monasterium suum repetere permissæ sunt,

retentis tamen earum Dominentis, insuper inhibitum, ne ullus Religiosus illarum Claustrum intraret, neque virgines ullas ad Novitiatum Susciperent. Tandem post varias, ut Religionem mutarent, Sollicitationes, necnon exantlatas alias vexationes, omnes Sanctimoniales ex hac vita migrârunt, atque Duci Wirtembergico Coenobium Sanctum reliquerunt profanandum.

Anno 1630. Ecclesiis et Monasteriis tùm in Wirtenbergia, tùm in aliis Germaniæ provinciis Autoritate Ferdinandi II. Imperatoris in plenam et antiquam possessionem passim restitutis, nova etiam Sacra Colonia Esslingensi huic Coenobio fuit immissa ex Bathenone Esslingensi desumta; quæ tamen nonnisi usque ad annum 1648. inibi tolerata, et urgente pace Westphalicâ demùm Statione sua cedere coacta fuit.

33° Reutlinga |: Reütlingen, Reitlingen :| Urbs libera Imperialis validis moenibus et fossis cincta ad Echez fluvium in amœna valle posita milliari ad orientem à Tubinga.

Anno 1240. Fridericus Imperator illam moenibus cinxit liberámque Imperii Urbem dixit. An. 1376. cum Eberhardo Comite Wirtenbergensi grave ipsi bellum fuit, eique quædam Suaviæ & tulerunt Suppetias, tùm Expugnatum est Ackalmum Castrum inter et Reutlingam, ubi Wirtenbergenses casi Sunt. & Urbes q an. 1377.

Eadem hanc Ulterius Eberhardus an. 1378. demùm cum Reutlingensibus corúmque Foederatis prælium iniit, in quo devictus occubuit. Demum lis per Imperatorem Wenceslaum composita fuit. An. 1519. recrudescentibus antiquis simultatibus Ulricus Dux Urbem hanc obsedit et obtinuit municipalémque facere tentavit; verùm accurrentes Suevi Foederati Ulricum Ducatu suo expulerunt, Reutlingámque pristinæ libertati restituêre.

Reutlinga prima fuit, quæ una cum Norimberga an. 1530. Augustanæ Confessioni subscripsit, nec unquam adduci potuit, ut librum seu formulam Interim susciperet. Anno 1643. Weimarensibus copiis, quæ Sueviam premebant, se dedidit. In quadam Compona ostenditur Martis Statua, quem olim Reutlingenses colebant. Non procul à Prætorio extat Monasterium an. 1281. pro FF. Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium fundatum, quod

tumultuante Lutheranismo, Patribus ritûs Secedere coactis, in commune Urbis Xenodochium conversum est. Alia adhuc in eâ fuisse Coenobia memorantur, quæ novum Lutheri Evangelium suppressit.

34°. Tubinga |: Tübingen :| Urbs antiqua et celebris post Stutgardiam totius Ducatûs Wirtembergici præcipua, unâ cum præstante Universitate an. 1477. à Comite Eberhardo I. Barbato fundata et erecta, quam subinde Sixtus Papa IV. et Fridericus III. Imperator amplis diplomatibus confirmârunt.

Urbs hæc sita est ad Sinistram Necari ripam in solo amœno et fertili, vino ac aliis ad vitam necessariis abundante, 3. milliariis ad Euronothum à Stutgardia, Sub gr. Long. 26. m. 46. Lat. 48. m. 34. vel ut alii volunt, Sub grad. Long. 29. m. 15. Lat. 48. m. 34.

Quando et à quo exstitata fuerit incertum est. Quidam arbitrantur illam ab Imperatore Antonino Caracalla ædificatam fuisse et Augustam dictam. Alii verò ejus initia Imperatori Valerio Probo tribuunt, qui Noningam eam dixerit.

Primitùs exstitisse dicitur in valle Steinachensi propè Blasii montem, ubi ab Attila Hunnorum Rege exusta fuit, ac postmodùm restituta in eum, in quo nunc est, locum translata.

4 Palatinis, Olim Comitibus, qui ab ea Tubingenses vocati sunt, paruit, Caputque fuit eorundem Comitatus. Ab an. 1342. Comitum Wirtembergensium facta est, penes quos ad hanc usque diem permansit. In ea quinque numerantur porta, necnon aliquot elegantibus ædificiis superbit. Satis validis mœnibus cingitur, quæ tamen antehac validiora fuerunt, quàm nunc sunt.

Tubinga Parochialis Ecclesia S. Georgii dicta an. 1477. occasione fundationis novæ Universitatis Collegiata facta est, translatis ad eam Canonicis Sindelfingensibus. Ibius Secundus Præpositus fuit Simulque dictæ Universitatis Rector Magnificus fuit Celebris Joannes Naucleros: ei in Præpositi munere successit Ambrosius Widenmann, qui et Universitatis Cancellarius fuit. Is, cum Religionis mutationem an. 1535. ab Ulrico Duce Wirtem-

~~tam hic terrestris Lotis ruinas, patribus vestris videre contigit,~~
~~incolumes vobis Deorum hisce conservatores estis Lotis,~~
~~adhuc in ea sitis, et vobis vicissim, quam hos~~
~~tam miseros extremos~~ benigne factam Rhenus sustinere posset, clanculum discessit, nec ullis precibus reduci se passus est.

Adfuit etiam Tubingæ Eremitarum S. Augustini Coenobium circà an. 1464. fundatum, quod, Lutheranismo prævalente, prorsùs defecit, Religiosis illius inquilinis exilio mulctatis simulque reditibus, censibus et aliis proventibus in profanos usus et Principis avarium attractis. Modò in eo aluntur 200. usque 250. Stipendiari seu Candidati Theologiæ. Fuit hic etiam Monasterium Franciscanorum an. 1272. pro ejusdem Ordinis Conventualibus fundatum, quod an. 1446. 17. Martii Patribus Franciscanis, quos Recollectos vocant seu Observantes, auctoritate Concilii Basileensis urgentibus Ludovico Comite Wirtembergensi et ipsius Conjuge Mechtilde à Palatinis Comitibus, traditum fuit. Deinde post invectum Tubingæ Lutheranismum, ejectis Monachis, mutatum est in Collegium Academicum. Numerabantur etiam Tubingæ aliquot Sanctimonialium Coenobia, quæ omnia Lutheranismus subvertit.

Anno 1535. 2. Septembris primus Tubingæ in Parochiali et Collegiata S. Georgii Martyris Ecclesiâ nostrum Lutheri Evangelium pro Concione annuntiavit quidam Ambrosius Blaurer. An. 1655. 19. et 30. Maji, item an. 1694. 30. Maji terræ motus hîc fuit, ex quo tamen nullum ferme damnum secutum est. An. 1742. 24. octobris Urbs hac incendii damnum sensit.

Eidem imminet Castrum in monte positum, quod alta Tubinga |: Hohen Tübingen :| vocatur. Antehac illius nomen fuit Castrum Palatinum |: Pfalzgrüy :| quòd Sedes fuerit Comitum Palatinorum Tubingensium, et ab iisdem excitatum eâ ætate, qua Operario dictum pro laboris sui mercede cruciger solvebatur. Quamvis valle fossis et mœnibus instructum sit, non tamen satis munitum videtur.

Anno 1519. Christophorus Dux Wirtembergensis, expulso patre suo Ulrico in illud se recepit, ubi à Sue-

via foederatis. Sub Duce Bavariæ eorum Capite et Duce obsessus se subduxit, foederati Castrum et Urbem obtinuerunt. Ulricus Dux ab exilio redux horum hunc frustra obsedit. Cùm an. 1546. idem Ulricus ob foedus Schmalcaldicum ab Imperatore Carolo V. denuò exturbatus fuisset, Cæsarei Urbe occupata Castrum obtinere haud valuerunt. An. 1647. Galli Urbem et Castrum occupaverunt, et brevi post deseruerunt. An. 1688. denuò huc redierunt, deinde discedentes Urbis mœnia diruerunt.

35°. Bebenhusium |: Bebenhausen :| Oppidum 2. milliaribus versùs Septentrionem à Tubingâ dissitum. Quidam autumant illud esse Taciti Bibonum.

Hîc olim fuit Celeberrimum Imperio immediatè subjectum Sacri Ordinis Cisterciensis Monasterium fundatum an. 1130. primùm pro Religiosis Præmonstratensibus, quibus dein Hugo Comes Palatinus Tubingensis Cistercienses suffecit. In eo sub annum 1305. numerati sunt 60. Monachi, et 130. Fratres Laici seu Conversi.

Anno 1535. Ulricus Dux Wirtembergensis Religionis immutator acerrimus ex eo Monachos ejecit; verùm auctoritate Caroli V. Imperatoris restituti an. 1549. 20. Martii cum Abbate suo, quem an. 1547. 17. Novembris exules in Cœnobio Portæ Cœli, vulgò Tennenbach delegerant, redierunt. Huic Abbati Christophorus Dux Wirtembergensis Ulrici defuncti filius Monasterii administrationem dedit, dato ipsi victalitio. Eo demum an. 1560. 25. Novembris à vivis sublato Eberhardus Bidenbachius Lutheranæ Theologiæ Doctor 3. Decembris Abbas ibi constitutus est.

Anno 1630. autoritate Ferdinandi II. Imperatoris Cœnobium hoc restitutum fuit, et Religiosa Colonia ex Salemitano Monasterio isthuc deducta: quæ tamen per pacta pacis Westphalicæ an. 1648. loco cedere compulsa fuit.

36°. Sindelfinga |: Sindelfingen :| Urbs exigua 3. leucis gallicis ad Occidentem à Tubinga distans. Anno 1284. Urbis jura obtinuit. In ea anno 1083. vel 1085. Albertus Comes Palatinus Tubingensis pro Monachis Benedictinis ex Hirsaugia acitis Cœnobium fundavit, quibus paulo post Hirsaugiam revocatis, idem in Collegium Canonicorum Sæcularium conversum est. Ao. 1477. Collegium hoc Canonicorum de speciali consensu et autoritate Sixti Papæ IV. et Friderici III. Romanorum Impe-

ratoris ad instantiam Eberhardi Comitis Wirtembergici pleno jure translatum fuit Tubingam ad Ecclesiam Parochialem S. Georgii; quorum loco ad Sindelfingensem Ecclesiam subintrârunt Canonici Regulares S. Augustinii, qui usque ad tempora mutatæ Religionis inibi laudabiliter commorati sunt.

37°. Monasterium S. Georgii |: St. Georgen :| Vetustissimum et olim percelebre Ordinis S. Benedicti in Diœcesi Constantiensi liberum et Imperiale Cœnobium milliari ad Aquilonem ab Urbe Villinga situm, et ab Hozilone et Hesone viris Nobilibus sub auspiciis S. Wilhelmi Abbatis Hirsaugiensis, qui illuc è suis Religionis colonias misit, fundatum an. 1085. ~~ad finem inceptum ac perfectum~~. Sunt tamen, qui longè antiquiorem ei tribuunt ætatem, ajuntque illud jam Sæculi IX. initio Statisse, ac an. 813. ædificari cœptum et an. 824. finitum fuisse.

Opibus et potentia nulli Germaniæ Cœnobio fermè cessit, virorumque pietate ac eruditione celebres semper protulit, inter quos fuêre. S. Theogerus illius quondam Abbas, Rupertus, Erbo, et alii. Floruit usque ad Ulrici Ducis Wirtembergii Lutherani ferventissimi tempora. Hoc ab exilio, in quod à Suevia Fœderatis an. 1519. pulsus fuerat, anno 1534. redux et Ducatui Suo restitutus, hoc Imperiale Cœnobium, cujus Advocatus erat, ejectis Monachis, sibi proprium fecit. Hi Villingam Urbem vicinam, in qua Præpositurâ habebant, se recepere. anno tamen 1630. edicto Ferdinandi II. Imperatoris restituti, at demùm an. 1648. post promulgatam pacem Westphalicam denuò exacti Villingam repetierunt, ubi ante aliquot annos dirutis veteribus, quæ ruinam minabantur, ædificiis, haut magnis sumtibus, vicinorum Monasteriorum aliorumque piorum virorum liberalitate adjuti, Ecclesiam et Cœnobium sat magnificè exstruxerunt, in quo piè et laudabiliter Deo servierunt, juventatemque magno Civium emolumento Litteris humanioribus æquè ac Sublimioribus erudiunt.

38°. Homberga |: Homberg :| Urbs exigua cum ejusdem Secum nominis Dynastiâ ad Gutacum |: Gütach :| fluvium sita 2. milliariis versùs Austrum à Schiltachio. Aditum præbet in Silvam Nigram seu Hercyniam. Ei bina veteres imprendent Arces in monte collocatæ, quæ valut duo Silvæ Hercinia propugnacula esse videntur. Anno 1519. à Suevis Fœderatis occupata fuit. An. 1702. Gallis capti sunt illamque munierunt; at brevi post Duci Wirtembergico eam obtinuit capto præsidio.

39°. Reichenbachium seu Reichenbacense Monasterium |: Reichenbach :| Ordinis S. Benedicti Abbatiæ Hirsaugiensi subditum et, ut ajunt, incorporatum, an. 1083. à S. Wilhelmo Abbate Hirsaugiensi fundatum in Silva

Sterminiâ tribûs leucis Gallicis ad Austrum à Schiltachio.

Anno 1595. 24. Octobris Wirtenbergenses jussu Ludovicis Gri-
ferii Ducis notis armata manu irruentes illud occupave-
runt, ac tenuerunt usque ad an. 1630. quo Imperatoris
Ferdinandi II. decreto Ordini S. Benedicti restitutum fuit.
at an. 1648. vi pacis Westphalicæ denuò ad Ducem Wirten-
bergensem redit.

40° Schiltachium |: Schiltach :| urbs exigua in valle Kinzi-
chana adjacens Comm nominis fluvium in confiniis Prin-
patûs Fürstenbergici 4. leucis gallicis ad Euro-aquilone-Me-
sem a Wolfachio.

Abea olim nomen habuêre Duces, qui, ut fertur, è Ducatu
Spoletano in Italia, quem possidebant, ab Imperatore Con-
rado II. exturbati in Sueviam se recipientes haud procul
à Rubea Villa |: Rothweil :| aream exstruxerunt, quam Urs-
lingam |: Urslingen :| ab Ursinis, è quibus genus trahebant,
vocavêre, necnon abea Duces Urslingenses dicti voluerunt.
Postmodum tamen ~~mutato nomine~~ à Schiltachio, cui im-
perabant, Duces Schiltachienses nuncupati sunt.

Rheinoldus urbem hanc an. 1389. pro summa 6000. flore-
norum Rhenanorum Comitibus Wirtenbergicis vendidit.
Ipsius posteri in deterius acti, amisso Ducum titulo, Comi-
tes et Barones huc taxat vocati fuerunt, atque circà an.
1403. exiguam priorum suarum possessionem partem
adhuc tenuerunt. Nihilominus an. 1414. Con-
cilio Constantiensi interfuisse dicitur Richardus Dux Urs-
lingensis seu Schiltachiensis. Quando autem illorum
prosapia omninò defecerit, notatum haud reperitur.

41° Alpirspachium |: Alpirsbach seu Alpirspach :|
communiter Monasterium Alpirspacense, inclytum
Ordinis S. Benedicti Coenobium Diœcesis Constantien-
sis in Silva Nigra positum inter Schiltachium et
Freudenstadium urbes, 2. leucis gallicis ad aquilonem
ab illa, et totidem ad austrum ab ista, fundatum an.
chr. 1095. à Rotmano ab Hausen, Adelberto de Golteren,
et Alverico Comite de Sultz. Fuit deinceps autem
multa fidelium largitione, ac ante Lutheranismi
tempora valdmaxime floruit.

Anno 1513. in flammas abiit, et mox à fundamentis res-
tauratum fuit. Anno 1534. 10. Novemb. in Vi-
gilia S. Martini Ulricus Dux Wirtenbergicus ab exilio
redux misit ad hoc Monasterium Ministros, qui omnium
illius bonorum inventarium confecerunt. Anno Sequen-
ti 28. Octob. in festo Apostolorum Simonis et Judæ idem
Dux collatis Oppidanis Dornstettensibus et aliis qua-

Si centum viginti viris illud ornavit, necnon omnia vasa aurea et argentea, tàm Sacrata, quàm humanis usibus destinata, baculum pastoralem et mitram, deaurata et argentea reliquiarum receptacula, p. abstulit, Abbatemque et Monachos ejecit. At an. 1548. Monasterium hoc auctoritate Caroli V. Imperatoris postliminio restitutum fuit, et deinc Catholicum Abbatem habuit, qui et ibidem constanter substitit usque ad an. 1559. et ultra, tandem captus à Wirtenbergensibus carcere diu detentus fuit, è quo dilapsus est. Interim Monastica Religio Benedictina Alpirspachii desiit usque ad an. 1630. quo quidem Coenobium hoc suis restitutum est, at an. 1648. vi pacis Westphalicæ denuò ad Lutheranos rediit.

B943. Calva, Calba, seu Calaba |: Kalw, Calw, Calow, Calü, Calb, p:| Urbs vetus ad ~~Argoltaum~~ Nagoltam |: Nagolt:| fluvium in salubri et amoenâ plagâ posita, 2. milliariis ad Africum à Wila |: Weil:| Nomen habere dicitur à calidis fontibus seu aquis, quæ non procul abfsa à Romanis militibus detecta fuerunt.

Olim paruit Comitibus, qui ab ea Calbæ Comites vocati sunt, ac in Castro extra urbem in rotundo colle posito sedem habuêre. Postmodùm Comitum Tubingensium facta est, quorum Wilhelmus an. 1345. vel 1346. illam unà cum Castro Comitibus Wirtenbergicis Eberhardo et Ulrico pro 7000. obolorum libris reliquit, penes quorum familiam hactenus permansit.

Urbs hæc satis elegans est et opulenta. Quinque portas habet, eique tria junguntur Suburbia. In Sæculi præteriti bello gallicam incenderunt, at post elegantior, quàm priùs fuerat, restaurata est. In ea viget laneorum textilium commercium. Non procul ab ea occurrunt Thermæ Cellenses |: Zeller-Bad:| ab urbe Liebenzella |: Lirbenzell:| cui, quàm Calvæ, propinquiores sunt, sic dictæ.

B944. Hirsaugia, Hirschavia, seu Hirsaugiense Monasterium |: Hirsau, Hirsaü, Hirsaüg, et Hirsaur:| Sanctissimum prorsùs et nunquam sine reverentia et grati animi significatione nominandum Imperiale Diœcesis Spirensis Coenobium, ut pote à quo tot et tanta in Germaniam universam olim redundârunt beneficia, quodque viros protulit tùm Sanctitate vitæ tùm Scientiarum laude præcipuos, qui non modò ad Episcopales Cathedras hinc inde promoti, sed et ad omnia penè Germaniæ Benedictina Coenobia reformanda et restau-

B942. Grenden-Studium seu Gaudiopolis |: Gröningstatt:| Urbs aliquantum munita in Nigra Silva 2. leucis gallicis ad Septentrionem ab Alpirspachio. Eam an. 1601. Gridericus Dux Wirtenbergensis in gratiam Lutheranorum à terris Austriacis exactorum construi curavit suóque nomine Gridericopolim |: Grüningstatt:| nuncupavit, quod nomen novi emules incolæ in Gaudiopolim |: Gröningstatt:| commutârunt, ut inde gaudium sum testaventur, quòd non modò tutam habitationem, sed et varias immunitates à Principe suo nacti essent: nunquam tamen populosa effici potuit. Ecclesia parochialis sic constructa est, ut in ea sacro divino officio viri et mulieres se se invicem intueri haud valeant.

randa evocati fuerunt. Situm est ad ripam Nagol-
ta |: Nagolt :| fluvii tribus milliarii quadrantibus ad Septen-
trionem à ~~Calw~~ Calva.

Tres diversa fuerunt illius fundationes; enimverò cùm
aliquamdiu propè interüisset, ab aliis et aliis restauratum
fuit. Prima fundatio facta est an. chr. 645. ab Halise-
nâ viduâ de Kalw et Evvardo ac Leopoldo Dominis Calvæ
Oppidi. Secunda ab Erlefredo Comite Calvensi ejusque
filio Notingo Vercellensi Episcopo an. chr. 830. à Fulda
cum 18. Monachis evocato et Abbate constituto. Tertiâ
denique ab Adelberto ejusdem familiæ Comite post 63.
annorum vacationem postulato ex Hirsaugiensi Monas-
terio Abbate Friderico, cui posteà S. Wilhelmus præci-
puus Hirsaugiæ restitutor in Abbatiali dignitate succes-
sit. Tanta subindè Monasterium hoc sumsit incre-
menta, ut annis 1079. et 1082. propter Monachorum
multitudinem, quorum ultra 150. præter 40. Gratres lai-
cos seu Conversos, in illo numerabantur, ampliari debuerit.

Tandem amplo huic et opulento, necnon tota Germa-
nia celebratissimo Cœnobio cladem et exitium attulit
novum Lutheri Evangelium. Enimverò anno 1535. ab
Ulrico Duce Wirtenbergico vi occupatum fuit Mona-
chis cum
Abbate suis expulsis. anno 1548. jussu Caroli V. suis legi-
timis professoribus restitutum fuit, qui illud tenuerunt us-
que ad an. 1560. tùm enim 18. Augusti post mortem Ab-
batis Ludovici Valderer, Hirsaugiensi Monasterio, religio-
sis inquilinis contumeliosè profligatis, in ludum Litera-
rium converso, violentia Principis Christophori Ducis Wir-
tembergii intruditur primus Lutheranus Abbas Henricus
Weichersreutter jam priùs Abbatiæ Ludovico vehemen-
ter reclamanti sub an. 1558. in Coadjutorem datus.

Ab anno 1560. igitur vetustissimum hoc simul et Sanc-
tissimum Hirsaugiæ Monasterium continuò mansit ri-
tibus Lutheranis addictum usque ad an. 1630. quo denùm
à Ferdinando II. Imperatore fuit reimperatum et Ordini
suo Monastico restitutum: idem tamen an. 1648. pace
Westphalica denuò peditum, ac insuper sanctis prætorio
à milite gallo agnum Wirtenbergensem terribiliter ad-
modùm devastante totum undique flammis succensum
et unâ cum pulcherrima sua Ecclesia, cui secundùm vas-
titatem, excepto solo primario Ulmensi Templo, tota Sue-
via parem non habuit, in merissimos cineres abiit.

Celebris Joannes Trithemius, qui anno 1516. naturæ
debitum solvit, amplissimum duobus Tomis in folio
hujus Hirsaugiensis Monasterii Chronicon, quod om-
nium ferè manibus teritur, edidit.

45ò Alba Dominorum |: Grossn = Alb :| olim potens et magnificum Imperiale Monasterium Ordinis Cisterciensis et Diœcesis Spirensis, à Bertholdo Comite de Eberstein et Ita conjuge ipsius an. 1146. fundatum, cujus fundationis litteræ biennio post scilicet an. 1148. expeditæ fuerunt. Situm est in confiniis Marchionatus Badensis in Comitatu Ebertino duabus leucis Gallicis ad Austrũ ab Alba Dominorum |: Grossn = Alb :| Benedictinarum asceterio.

An. 1535. 28. octobris Ulricus Dux Wirtenbergicus ad hoc Monasterium misit viros armatos, qui illud omninò diripuerunt. Abbas ipse Lucas Gostius prope Misingam captus, Stutgardiam ductus est, ibique carceri mancipatus, tumque aliquandiu Monasterium Abbate caruit. Sinto dein bello Schmalcaldico cultus religiosus in illud reductus fuit, ac Georgius Trippelmann cognomento Baifs Tubingensis in Abbatem electus fuit, qui an. 1558. constituto sibi à Duce Christophoro vitalitio cedere coactus est, ac an. 1556. Philippus Degenus Uracensis primus hujus loci Abbas Lutheranus abeodem Duce constitutus fuit; tumque omnis cultus religiosus in celebri olim Cœnobio hoc desiit.

46ò Thermæ Ferinæ |: Wildbad :| Urbs exigua unà cum Castello et famosis Thermis sita in confiniis Marchionatûs Badensis ad Lutiam |: Lutz :| fluvium 2. milliariis ad Africum à Calva in profundâ montibus prealtis et silvis circumdata valle. ~~Thermæ Ferinæ ad Thermas silvestres Wildbad dictas.~~

Thermæ, quæ in ea sunt, inter totius Germaniæ antiquissimas recensentur. Quidam memorant, eas, dum Marcus Aurelius Antoninus Bassianus aliàs Caracalla dictus Badenam Urbem seu Thermas inferiores in Marchionatu Badensi construeret, à suis militibus repertas fuisse.

Harum nomen quidam inde derivant, quòd apri multoties propè eas substiterint, atque se volutaverint. Verisimilius tamen est, nomen hoc ipsis inditum fuisse ad distinctionem aliarum Germaniæ Thermarum, vel ab earum plagâ silvis et montibus horridâ, undè quidam volunt, eas potiùs dici debere Thermas Silvestres |: Wald-bad :| quàm Ferinas.

Urbs hæc multoties incendii sensit infortunium, ut an. 1454. an. 1509. festo Omnium SS. an. 1525. feria quinta post festum trium Regum. an. 1646. et deni-

quo an. 1742. 7. Julii, quis tota in flammas abiit. Sed semper restaurata fuit, et quidem elegantius.

47°. Wila seu Vila Suevia |: Wril, Wirl, Wrilarstatt, Wrßlarstatt :| Urbs libera Imperialis ad Wurmum |: Würm seu Würmb :| rivum sita 3. milliariis ad Occidentem à Stutgardia, et totidem ad Orientem à Thermis ferinis, in solo fertili et amoenissimo, ac in Diocesi Spirensi.

Moenibus fossis et turribus ad artem veterem comparatis et instructa. Ab Imperatore Friderico II. Urbs facta est, cum prius Villa esset, quod nomen retinuit juntâ quod Germanice Wril seu Wirl dicitur.

Non procul ab hac Urbe celebre commissum est praelium Urbes Suevicas inter et Comitem Wistenbergensem Eberhardum, in quo illa victoriam reportârunt.

Wila tota Catholica est. Equidem an. 1522. quidam Theobaldus Bedicanus Dogmata Romano-Cathlica publicè adortus est, at mox Urbe ejectus bilum revere coactus est. In ea insignis est Basilica parochialis à prima sua fundatione Duodecim Canonicorum Saecularium Collegio nobilitata, quorum numerus succedentium temporum injuria imminutus adeò defecit, ut modò nonnisi loci Parochus et pauci aliquot Beneficiati communi Parochiae Ministerio Jejuntati superesint. Est etiam hîc inclytum PP. Eremitarum Ordinis S. Augustini Coenobium an. 1295. pro duodecim ejusdem Instituti Religiosis ex S. P. Q. Wilensis aerario fundatum. PP. Capucini Wilae etiam habent hospitium ab an. Chr. 1640. in eóque tanquam Missionarii existunt.

Anno 1648. pace Westphaliâ jam conclusâ, sed nondum promulgatâ Galli e Philippopoli, Wormatiâ, et Heilbronnâ irrumpentes Wilam assultu ceperunt, aëmque cum fere omnibus molis, diripuerunt et incenderunt.

Wila est patria famosi Joannis Brentii*.

48°. Leuberga, Leonberga, seu Lesberga |: Löwbrg, Lowenbrog, Lawenbrog et Löwenbrog :| Urbs cum Arce et Dynastia inter montes ad Glemisam |: Glamb :| rivum in solo fertili posita milliari ad Orientem à Wilâ.

Circum eam pulchra sunt vineta, agri optimi, vireta et arboreta. Anno 1340. terra motum sustinuit, qui ari grave damnum intulit. An. 1519. Foederati Suevia illam occupaverunt, anno 1525. Christophorus Ulrici Ducis filius illam inopinatò recuperavit, at mox Foederatis denuò cessit. Ante 30. annorum bellum Leuberga spectabilis fuit et comitata,

* Brentius |: Joannes :| Wila an. 1499. 24. Julii natus perhibetur. undecimo aetatis suae anno Heidelbergam, indè Vaingam Ducatûs Wirtenbergii Urbem in confiniis Marchionatûs Badensis 2. lewis gallicis à Phorcensi Pistitam ad studia missus fuit. Inde an-

optimisque moenibus instructa, necnon cives habuit opulentos.

In ea ante Lutheranismum floruit Monasterium Ordinis Minorum S. Francisci provinciæ Argentinensis et Diœcesis Spirensis jam pridem à Lutheranis eversum. In idud ejectis Monachis an. 1540. Pfullingenses Ordinis S. Claræ Moniales unâ cum Abbatissa sua à suo Pfullingensi Cœnobio jussu Ulrici Ducis deductæ fuerunt, in quo pane tribulationis vix ægrè sustentatæ permanserunt usque ad an. 1551. quâ de re pluribus agimus supra, ubi de Pfullingâ nobis sermo fuit.

49° Ludoviciana seu Castrum Ludovici |: Ludwigsburg seu Ludwigsburg :| pretiosum Ducum Wirtembergensium palatium seu Diæta, 3. milliaribus ad Septentrionem à Stutgardia ad Lavam Nivi posita. Initio nonnisi angusta satis domus voluptaria fuit, quæ tandem in amplum et magnificum palatium excrevit, quod an. 1708. Eberhardus Ludovicus Dux exstruxit, suoque nomine insignivit, necnon usque ad obitum suum in eo demoratus est. Eidem sunt fere sexcenta et amplius ædes, tamen plerumque ligneæ, adjunctæ fuerunt, quibus idem Dux urbis privilegia concessit.

50° Maulbronnense, seu Maulbronnense Monasterium |: Maulbronn :| per celebre olim liberum Imperiale Monasterium Ordinis Cisterciensis situm in solo fertili prope fontes Salza |: Salza :| fluvii in confiniis Palatinatûs Inferioris et Marchionatûs Badensis 2. milliaribus versùs Septentrionem à Phorcena, anno 1138. 16. Martii fundatum à Gunthero Comite Luningensi et Episcopo Spirensi, necnon à Walthero de Lammersheim.

Floruit in eo vel maximè disciplina regularis usque ad Lutheranismi tempora: tùm enim ab an. 1534. à Ducibus Ulrico et Christophoro ejus filio, sub titulo Advocatiæ, per plures annos, Imperialis Cameræ Spirensis citationibus et Mandatis nequiquam obsistentibus, diræ exagitati et carceribus mancipati fuerunt Abbas et Monachi, donec an. 1548. Caroli V. Imperatoris auctoritate restituti fuerunt. At brevi post renatæ revexationes, et demùm an. 1559. Joanne de Waiblingen cognomento Senger Abbate mortuo, auctoritate Christophori Ducis ibidem Abbas constituitur Lutheranus Joannes Gyplius; Monachisque depulsis omnis divinus cultus extinctus est usque ad an. 1630. quò auctoritate jam sæpiùs laudati Ferdinandi II. Imperatoris natalis suæ 13tio Heidelbergam reversus ibi duobus post annis Baccalaureus creatus est, et cum in Studiis admodùm proficeret, an. 1517. Magistri Laureâ donatus, brevi post Rector et in Collegium Canonicorum S. Spiritûs cooptatus fuit. Lectis deinde Lutheri Scriptis ad illius partes secessit, ac an. 1522. Hallæ Suevorum Præco constitutus est. an. 1530. Augustæ in Comitiis utriusque partis Theologorum colloquio interfuit. Inde reversus an. 1531. uxorem duxit. an. 1534. de consensu Senatûs Hallensis ab Ulrico Duce Wirtembergico Tubingam accersitus unâ cum Camerario, Fuschio, et aliis hujus Urbis Universitatem ad Lutheri dogmata adaptavit et instituit. an. 1540. colloquiis Hagenoensi, Wormatiensi, et Ratisbonensi interfuit. Ortobello Schmalcaldico ad magnas redactus est angustias, Cæsare enim an. 1547. Halâ occupatâ domum ejus diripuerunt, in qua epistolas quasdam hujus bedi occasione ad alios scriptas invenerunt, easque Imperatori tradiderunt; hinc in excelsam turrim se proripuit, ubi tamdiu latuit, donec mutatis vestibus evadendi occasionem nactus est: tum Basileam se recepit; inde, relictâ

à Cæsareis Halâ, i. huc redüit: at cùm an. 1548. adversùs formulare Interim aviter detracharetur, Granvela Minister Cæsareus Senatui Hallensi ipsu Imperatoris intimavit, ut Brentium vinctum Augustam deportari curaret, quod ut ipsi innotuit, Jenâ fugâ sibi consuluit, et ad Ulricum Ducem Wirtenbergicum se contulit, qui illum Hornberga Dynastam constituit, ubi mentito nomine Udalricus Aengster dici voluit. Jam a Christophoro Ulrici filio et Successore Stutgardiam arcitus Fidei confessionem, Concilio Tridentino exhibendam composuit, et an. 1552. una cum Legatis Wirtenbergensibus ac tribus aliis Theologis Tridentum profectus est dictam Confessionem Concilio porecturus; at re infectâ non sine discrimine domum rediit. an. 1557. etiam colloquio Wormatiensi interfuit. Tandem vivere desiit 17. Augusti an. 1570.

Varia edidit Opera quæ octo Tomis edita fuêre.

NB Stirps Badeno-Badensis extincta est in persona Principis Augusti, qui obiit 21. Oct. 1771.

torio Monasterium hor. Sacro Cisterciensi Ordini suo plenariè restitutum fuit, quod tamen an. 1648. pace Westphalicâ Ducì Wirtenbergico in plenam possessionem denuò relictum fuit; qui illud in Ludum Litterarium convertit, in quo plures Alumni sub Abbatis Lutherani et duorum Professorum inspectione eruditur postendum ad Ducale Tubingense Theologicum Stipendium promovendi.

An. 1654. à die 10. usque ad 15. Aprilis hîc institutum fuit Palatinos inter et Wirtenbergenses Theologos de Cœna Domini seu Sacra Eucharistiâ colloquium, cujus acta typis vulgata Supersunt.

Sectio V.

De Marchionatu Badensi.

Marchionatus Badensis [: Ist Marggrafschafft Baden :] limites habet ad Septentrionem Palatinatum Inferiorem et Episcopatum Spirensem; ad Orientem Ducatum Wirtenbergicum et Principatum Fürstenbergensem; ad Meridiem Ortenaviam, et ad Occidentem Rhenum.

Nomen habet ab Urbe, quæ Germanicè Baden dicitur, quàm Latini Badenam vocant, cum potiùs Thermas eam nuncupare deberent, id enim Teutonicum Baden Latinè sonat.

Marchionatus iste bifariam dividitur Scilicet in Superiorem seu Baden-Badensem, et Inferiorem seu Baden-Durlacensem, illumque bina Stirpes possident, quarum una Catholica est, altera Lutherana. Illa Marchionatum Superiorem seu Baden-Badensem possidet; hæc verò Inferiorem seu Baden-Durlacensem. NB Totius hujus Marchionatus longitudo est circiter octo milliarium, longitudo autem quinque.

Hujus Marchionatus mentio facta invenitur in antequam ad hodiernos Marchiones pervenerit, ac inter alia documenta in quodam Dagoberti Regis Diplomate Marchia ad Balneas vocatur. Videtur ereitus fuisse ad frenandos Teutones et Alemannos jugi Francorum impatientes, vel ad tutelam illorum, qui Thermis utebantur. Quidam arbitrantur Marchionatum hunc à Carolo M. fuisse institutum seu potiùs restauratum. Verisimilius tamen est Henricum Auceps eundem adversùs Burgundiones et Lotharingos de novo erexisse, quò tutiùs expeditio-

tionem, quam adversùs Hungaros moliebatur, exequi posset.

Ab illo tempore Marchionatus iste jam fortè hereditaria fuit familiæ cujusdam portio; enimverò non solùm ætate Ottonis Imperatoris in Equitiorum Catalogo scriptus inventur quidam Comes Badensis, sed et memoriâ proditum est an. 1150. Marchionatum hunc per Judithan ad Hermannum I. Marchionem Hochbergensem jure hereditario pervenisse, qui propterea primus Marchio Badensis dictus est; Marchionatumque hunc ad suos posteros transmisit, qui per varia conjugia eidem multas adhuc addidêre ditiones.

Quantum ad illorum originem verisimilior opinio est, illos eam ab Alsatia prosapiâ per Archinoaldum Clodovæi II. Francorum Regis Majorem Domûs traxisse.

Præter Marchionatum hunc amba Domus ista varias adhuc possessiones habent in Brisgoja et alibi. Enimverò Marchio Baden-Badensis possidet potiorem Comitatûs Ebertini partem; in Brisgoja Ortenaviam*, et Dynastiam Hachbergensem; in Dorso Camino |: auff dem Schwarzwald :| partem Comitatûs Spanheimensis, de quo egimus supra Cap. VIII. Rodemaeriam, de qua diximus Cap. V. et in Bohemia Schlackenwerdam et alias ditiones. p.

Marchio autem Baden-Durlacensis in Brisgoja possidet Marchionatum Altomontanum seu Hochbergensem, Dynastias Badenweilerensem, et Rotelnensem, Landgraviatum Susenbergensem p.

Cæterùm Marchiones Badenses absoluto et illimitato in suos subditos potiuntur Dominio, iisque quando et prout placet, vectigalia et tributa imponunt.

Regio hæc universim, et prout etiam sibi adjecta Dominia complectitur, quantùm ad fœcunditatem nulli Germaniæ provinciæ cedit; tanta præsertim est in ea optimi vini abundantia, ut quotannis magna illius copia in exteras regiones transportetur. Silvæ et montes rei pecuariæ magnos sunt commodo, lignorum quoque divitæ sunt, ita ut ex iis permultæ arbores, præsertim autem quercus in Hollandiam seu Belgium Fœderatum devehantur; necnon feris quadrupedibus et pennariis abundant. In Rheno pisces magna copia capiuntur, et aliorum metallorum venæ interdum occurrunt; adsunt etiam præclaræ ferri fodinæ. Hæc universim de Marchionatu Badensi Superiori et Inferiori p. dicta sufficiant, modo singillatim juxtà partes suas et adjecta Dominia illum expendimus sequentibus subsectionibus et paragraphis expendimus.

* post mortem Principis Augusti Ortenaviæ ad Domum Austriacam, quam Principes Baden-Badenses tanquam subfeudum abdicta possidebant.

Subsectio I.
De Marchionatu Badensi Superiore
Seu
Badeno-Badensi
Eidemque ad-
Dictis locis.

Quatuor §§. hîc nobis agendum, in primo de Marchionatu Badensi Superiori seu Badeno-Badensi; in secundo de Ortenavia, in tertio Comitatu Ebersteinensi, in tertio de Ortenavia, et in quarto de Dynastia Mahlbergensi tractabimus.

§. I.
Seu
Badeno-Badensi.

De Marchionatu Superiori Badensi
Seu
Badeno-Badensi proprio.

Marchionatus Superior Badensis seu Badeno Badensis proprius |: Die rigentliche Obrot seu Badn-Baden Badische Marggrafschaft :| terminatur ad Orientem Comitatu Ebersteino; ad Austrum Ortenaviâ, ad Occidentem Rheno, ultra quem Beinheimensis Dynastia jacet; et ad Septentrionem Marchionatu Badensi Inferiore seu Durlacensi. Ita notari meretur

jò Badena |: Badn :| totius Marchionatûs Metropolis, quæ etiam nomen tribuit. Sita est milliari à Rheno versus Orientem, et 6. ad Septentrionem ab Argentina, Subgr. 22. m. 45. long. et 48. m. 52. lat. in plaga montosâ quidem sed jucundâ et pulcherrimis vinetis ornatâ.

Veteres eam Thermas Inferiores nuncuparunt ad distinctionem alius ejusdem nominis in Helvetiâ Urbis, quam Thermas Superiores vocavêre. Ei imminet Castrum in monte positum antehac Marchionum Sedes. Nunc à nato milore Principe Augusto inolitur.

Urbs hæc nota est à Thermis suis, unde etiam à Fontibus, è quibus candentes aquæ salutares Sulphur, Sale et alumine impregnatæ prosiliunt, Germanicum

romen Sunn habet. Jam Romanorum ætate celebris fuit; eminerè non solùm in Diplomate Dagoberti Regis legitur illam, aut saltem illius Thermas ab Imperatoribus Hadriano et Antonino fuisse constructas, sed et vetus superesse dicitur Inscriptio, quæ Antonini Caracallæ meminit. Attamen contendunt aliqui Aurelium Imperatorem an. Chr. 226. Thermas has invenisse, et hac occasione simul urbis ædificationi dedisse initium; qua de re etiam variæ ostenduntur Inscriptiones.

Anno 1330. Urbs hæc ab Episcopo et Civibus Argentoratensibus frustrà fuit obsessa. An. 1688. Galli eam incenderunt et totam in cineres redegerunt.

Illius Ecclesia Parochialis, quæ ante annos aliquot restaurata speciosisque ornata fuit Altaribus, simul Collegiata est, habetque Præpositum, Decanum, Custodem, Parochum et Cantorem et quatuor Sacellanos.

In ea etiam est amplissimum Societatis Jesu Collegium à Principe Wilhelmo, qui an. 1673. 12. Maji mortalitatem exuit, à fundamentis exstructum; cum jam antèa illius adhuc Minorennis Tutor Wilhelmus V. Bavariæ Dux, qui an. 1674. vitam posuit, primos memoratæ Societatis Alumnos in Marchionatum Badensem inv exisset.

Adest etiam venerabile Partheninum Canonissarum Regularium Ordinis S. Augustini S. Sepulchri, quod an. 1668. civitatis ex inclyta paris Instituti Domicilio Leodiensi Sanctimonialibus Maria Francisca nata Comitissa de Fürstenberg Leopoldi Wilhelmi I. Marchionis Badensis conjux altera propriis sumtibus fundavit.

Extrà muros PP. Capuccini Conventum habent, cujus primum lapidem posuit 28. Maji an. 1631. Princeps Wilhelmus, cùm post insignem victoriam pridie Nonas Maji an. 1622. de Georgio Friderico Marchione Durlacensi Lutherano gloriosè reportatam animo devovisset in sua Badensi regione, à qua tirtis Raetenus exul fuerat, venerandis his Patribus Domicilium aliquod concedere.

Mille circiter passibus à Badena extat celebre Sanctimonialium Ordinis Cisterciensis Monasterium Lucida vallis |: Liechtenthal :| dictum ab Irmengarda Comita Palatina Rheni, et Marchionis Hermanni Senioris vidua fundatum; cujus filia prima fuit in eo Abbatissa. Antehac in hujus Coenobii Ecclesia Principes Badenses Sepulturam habuêre, quæ mox in Collegiatam et Parochialem Badensem Ecclesiam translata est.

2° Steinbachium |: Steinbach :| Urbs angusta et vilis Semimiliari ad austrum à Badena distans. Nomen tribuit Dynastis. Qui joris et ironiis delectantur de ida dicere solent,

Sathanam, ubi Christo Domino omnia mundi regna obtulit, sibi unicum reservasse Steinbachium.

3º Schwatzachium |: Schwatzaf :| Oppidum et celebre opulentúmque Ordinis S. Benedicti Monasterium, à Ludovico Pio et Sequentibus Imperatoribus plurimùm dotatum et variis immunitatibus auctum; non procul à Lichtenavia positum 4 milliaribus ad Septentrionem ab Argentinâ.

Illud an. 724. a Luthardo Arnolpho Alsatiæ seu Sueviæ Comite et Dominsinda ejus conjuge ad Sinistram Rheni ripam conditum et à fundamentis extructum fuisse dicitur, necnon Augia Arnolphi seu Arnolpheshova |: Arnolfsbaro :| nuncupatum. at cùm postmodùm incendio devastatum fuisset, circà an. 826. Sub Ludovico Pio Imperatore Wido sive Guido illius Abbas de consensu Bertholdi Comitis Argentinensis illud cis Rhenum adium, in quo nunc est, Conum transtulit, ut, quod quidam memorant, in Germania et terrâ Salicâ esset; Semúnque à nigro Monachorum ibius habitu Schwatzach appellatum est, quod nomen ad hanc usque diem retinuit, Latiníque Schwartzachium dixerunt. Eidem breviport adjuncta fuerunt ædes, quæ tandem in satis amplum excreverunt Oppidum, cujus Dominium partim Marchio Badensis partim Abbas habent.

Monasterium istud feudum est Episcopi Spirensis; illius verò Advocatiam idem Princeps Badensis gerit, cujus occasione graves inter utrumque lites vigent, quæ Wetzlariam ad Cameram Imperialem delatæ ibidem hactenus indecisæ permanserunt.

4º Stochofa, Stochoffa, et Stolhoffo |: Stolhofen :| Urbs augusta et olim præstans propugnaculum ad Lævum Rheni in via regia non procul ab Arce et Urbe Ludovicia 4. milliaribus ad Septentrionem ab Argentorato sita. Eam titulo Sessionis Rudolphus III. Marchio Badensis, quem an. 1332. è vivis excessit, sibi asserit.

Stochofa tàm in 30. annorum bello quàm Sequentibus Gallicis multos exantlavit calamitates, ut quam Hostes et amici vicissim ompaverunt. Speciatim autem an. 1689. à Gallis inopinato in Germaniam irruentibus penitùs devastata et in cineres redacta fuit. In Hispanica Successionis bello Germani ab hac Urbe versus Orientem usque ad Silvam Hercinian, et versùs Septentrionem juxtà Rhenum Philippopolim usque validissimum duxerunt vallum, quo Wirtenbergica, Badensis et Sueviæ regiones protegerentur. Illud an. 1707. Galli superarunt, necnon Wirtenbergensem aliasque Sueviæ regiones terrore magno implentes eisdem ingentem pecuniarum vim imperârunt.

5º Beinheimum |: Brinsheim :| Urbs exigua in Alsatia inferiori ad ostium Suræ |: Sûr :| fluvii ubi Rheno immergi-

tur, posita à regione Rastadii nec procul ab Arce Ludovicia.
Olim ad Dominos de Fleckenstein pertinuit, quam Marchiones Badenses occasione clarigationis cujusdam illis eripuerunt.

6º Rastadium |: Rastadt :| Urbs cum Castro seu Palatio et Dynastiâ ad Murgam |: Murg :| fluvium, qui non procul hinc Rheno miscetur, sita 2. milliariis ad Septentrionem à Badena, et totidem ad Austrum à Carlsruhâ.
Antehac nomisi Oppidum erat, quod Galli an. 1689. incenderunt ac in cineres redegerunt, cujus loco deinde Princeps Badensis Ludovicus novam Urbem exitavit, quam Rastadium |: Rastadt :| quod Louis quiatis verti potest, nuncupavit; in eaque Sedem fixit.
Urbs haec non equidem magna est, sed tamen ad reguam comparata, sita est in pulchra planitie, quae Campus Rastadiensis vocatur, necnon ad aliquot milliaria porrigitur, in quo Galli in Successionis Hispanicae bello aliquoties castra metati sunt.
Castrum seu Palatium, quod ibidem à fundamento exitavit idem Princeps Ludovicus, in quo et an. 1707. vitam posuit, adeò pretiosum solidum et elegans est, ut in totâ Germaniâ ei simile vix inveniatur.
In hac Urbe an. 1713. 26. Novembris de pace Carolum VI. Imperatorem inter et Ludovicum XIV. Galliae Regem Eugenius Sabaudiae Princeps et Dux Villarsius tractare coeperunt, ac illius praeliminares articuli 7. martii inter tertiam et quartam horam matutinam an. 1714. ab ipsis subscripti fuerunt, quae postmodum Badena seu in Thermis Superioribus Helvetiae Urbe penitus conclusa sunt. Caeterum Urbs haec à magna vini mensura, quae ibidem est in usu, etiamnum celebratur.

7º Etlinga |: Etlingen, seu Ötlingen :| Urbs cognomen Dynastiâ ad Albam |: Alb :| fluvium sita 2. milliaribus ad Euro-Aquilonem à Rastadio. Eam Trojanus quidam Phorcys nomine diu ante Christi ortum exitasse necnon Posidonopolim vocasse dicitur. Primum fortè nomisi pagus fuit, postmodum Urbs facta est, quam Imperator Fridericus II. prius Imperio immediatè subjectam Marchionibus Badensibus q tradidisse dicitur abaliquibus. Alii verò ajunt, illam olim Monasterio Vissenbergensi paruisse, quam Conradus Comes Palatinus ab eodem Monasterio, cujus Advocatus erat, in feudum obtinuerit, ac postmodum neptis illius Agnes Hermanno IV. Pio Marchioni Badensi in dotem attulerit. q an. 1234.
In Hispanica Successionis bello Germani amisso Stolhofensi vado, Ku norum exitârunt, ac Mühlbergam usque et ul-

tra protenderunt, quod Etlingense vocatum fuit. Illud etiam Gallis cessit.

Etlinga Principes Badenses praclarum habent palatium ordinaria viduarum Principum sedes. Patres quoque Societatis Jesu hîc habent Collegium, quod tertiæ probationis domus est, à Principe Wilhelmo supra in descriptione Collegii Badensis laudato fundatum.

Etlinga est patria celebris Francisci Irenici*.

*Irenius |: Franciscus :| aliàs Germanicè Friedlieb, id est Pacis amor seu Amator, quod nomen juxtà illius ætatis eruditorum Lutheranorum morem, in græcum transtulit. Quo anno natus sit, adhuc dum est incertum, videtur tamen, circà an. 1495. lucem hanc aspexerit. Exactis in patria et Phorcenо humanioribus literis Heidelbergæ et Tubingæ Melanthonem audivit; præcipuè historiam coluit, tùm ad Theologiæ Studium mentem adjecit. Arctam amicitiam cum Reuchlino, Pirckheimero, Theodorico Gresemundo, et gentili suo Caspare Hedione fovit. vixit sub Imperatore Maximiliano I. p. Scripsit inter alia suo ævum libris Exegesin Germaniæ eruditis notam.

§. II.

De Comitatu Ebertino.

Comitatus Ebertinus |: die grafschaft Ebrstein :| situs est inter Ducatum Wirtembergensem, Ortenaviam, et Marchionatum Badensem. Ejus longitudo est 6. milliarorum, latitudo trium.

Nomen habet ab antiquissimo in rupe semimiliari à Gerspachio posito Castro, quod an. 1356. seu 57. Eberhardus Comes Wirtembergicus Augustanorum ope excidit. Illud olim adversùs Imperatorem Ottonem M. trium annorum obsidionem sustinisse dicitur.

Comitatus ritè ~~Archiepiscopi Episcopi Principis~~ proprios olim Comites habuit. ~~Archiepiscopi~~ Modò præter Marchionem Badensem in eo possessiones habent Duæ Wirtembergicus, Episcopus Spirensis, Comites de Wolkenstein, et de Gronsfeld. In eo notatur

1°. Gerspachium, Gersbachium |: Grossaf, Grosbuf, et Gronsbaf :| urbs exigua in valle Murgensi, ad Murgam |: Murg :| fluvium in confiniis Ducatûs Wirtembergici sita milliari cum dimidio ad Eurotum à Badena. In præteritis bellis multa mala perpessa est. Cives partim Catholici partim Lutherani sunt.

2°. Alba Dominarum |: Jouxum Alb :| celebre Nobilium Virginum Ordinis S. Benedicti Cœnobium Diœcesis Spirensis ad Albam |: Alb :| flumen, à quo nomen sortitur, in confiniis Wirtembergensibus, 3. milliariis ad Orientem à Rastatio positum, et à Bertholdo Comite Ebertino an. 1134. fundatum.

Anno 1508. in festo Purificationis B. V. Maria casuali incendio pessundatum est, restauratumque Rustici Anabaptistæ an. 1525. diripuerunt. Sub finem sæculi XVI. Marchio Badensis Lutheranus illud occupavit, at an. 1624. illud restituere coactus est. Abbas tempore ad hanc usque diem optimè floret. Eidem satis pinguis sunt reditus, novemque vicis imperat. Illius advocationem gerit Marchio Badensis. Post hujus sæculi initium, Jovisto veteri, quod ruinam minitabatur, Monasterio, novum-

unâ cum Ecclesiâ è fundamentis magnificè fuit exstructum.

§. LLL.

De Ortenavia.

Ortenavia |: die Ortenau :| satis parva regio, cujus ambitus ultra 4. miliaria non porrigitur. Sita est inter Brisgojam, Marchionatum Badensem, Comitatum Ebersteinum, et Principatum Fürstenbergicum, Rhenumque eam ab Alsatia separat. Communiter Brisgojæ adjicitur. Quia Kinzicha |: Kinzing :| amnis, qui in Silva Hercinia non procul ab Alpirsbachio propè viam Lossburg oritur, è Principatu Fürstenbergico decurrens illam perfluit, hinc etiam vadis Kinzichanæ nomen obtinuit.

Olim Mortenavia à voce Germanicâ Mordnau, valet Assassiniorum Angia dicta fuisse dicitur, quòd, cùm densis abundaret silvis, in ea à latronibus multæ cædes et assassinia perpetrata fuerint.

In ea sunt Urbes Imperiales et Immediatæ, Offenisburgum, Gengenbacum, et Zella ad Hammerspachium. Item aliquot Monasteria, Gengenbacense, quod Imperiale est, Schutteranum, ambo Ordinis S. Benedicti, et Omnium Sanctorum Ordinis Præmonstratensis. Princeps Badensis hic quatuor Præfecturas tanquam Domûs Austriacæ Subfeudum masculinum possidet scilicet Ortenbergicum, Griesensem, Appenweyrensem, et Acherensem, quæ potiorem regionis hujus partem efficiunt. Episcopus Argentinensis, in ea Dynastiam Oberkirchensem, et denique Princeps Hereditarius Hasso-Darmstadiensis, tanquam Heres Comitis Hanoviensis Urbem Lichtenaviam aliasque ditiones quasdam, tenent. * Hîc notatur

1°. Lichtenavia |: Lichtenau? :| Urbs exigua caput Dynastiæ, quæ etiam trans Rhenum protenditur, portio Comitatûs Hanovio-Lichtenbergensis. Sita est in confiniis Badensibus 3. miliariis ad Septentrionem ab Argentinâ, et 2. ad Africum à Badenâ. Olim munita erat, ejusque jungebatur Castrum itidem munitum. An. 1632. à Cæsareis occupata, direpta et incensa fuit. An. 1637. Galli eâ potiti sunt. An. 1645. iterùm Cæsareis paruit. An. 1689. Galli subjecto igne illam in cineres redegerunt.

2°. Koolanum |: Rohl :| Munimentum propè ejusdem nominis viam, 2. miliariis ad Occidentem ab Offenisburgo, et una lenca Gallica ad Orientem ab Argentina ad Rheni ripam situm. Insulæ instar inter aquas jacet, et ex unâ

* an. 1771. Augusto Principe Badensi Dominatus Ortenavia ad Domum Austriacam rediit.

parte Kinzichâ et Schutterâ, ex altera verò Rheno cingitur. Quadrum exhibet duobus cornutis operibus instructum, majori uno altero minori, prius urbeculam exibet, in eoque bina domorum series sunt, quas cives habitant, et lata platea ab invicem separat.

Anno 1678. 27. Julii Galli post trium dierum obsidionem munimentum hoc obtinuerunt, incensúmque et solo aquatum deseruerunt. Postquam Rex Galliæ an. 1681. Argentinâ potitus est, tùm Koelanum restauravit, ac denuò munivit, posito 1. octobris 1683. ad illius munimenta lapide primo. Postmodùm an. 1697. vi pacis Risvicensis denuò ad Imperium rediit, et Ludovico Principi Badensi in compensationem damni, quod in bello passus fuerat, Imperator Leopoldus I. consentientibus Imperii Statibus, illius dominium tradidit, jure præsidii penes Imperium retento. In Hispanico Successionis, quod brevi post pacem Risvicensem exortum est, 4 Galli sub Duce Villarsio an. 1702. post aliquot dierum obsidionem propugnaculum hoc obtinuerunt, quod an. 1714. post pacem Rastadio-Badensem Imperio reddiderunt. At ubi an. 1733. 11. octobris Rex Galliæ Imperatori Carolo VI. sub prætextu, quod una cum Russorum Imperatrice obfuisset, ne Socer ejus Stanislaus Leskinki Poloniæ Regni coronam adipisceretur, seu potiùs adeptam servaret, bellum indixit, 13. ejusdem mensis copiæ ipsius sub Duce de Berwick Koelanum denuò obsedernnt, et post aliquot hebdomades obtinuerunt, at an. 1737. post pacem Viennensem 18. Februarii Imperio restituerunt. Tum Munimentum hoc negligi cœpit, et postquam Rhenus aliquot illius propugnacula secum Hollandiam versùs abduxisset, oppletâ fossâ omni præsidio nudatum est.

4bello,

3° Abrachirchium |: Abrahbirg :| Urbs exigua cum ampla Dynastia, in qua Nopinavia |: Nopnau :| urbecula etiam comprehenditur. Juris est Episcopi Argentinensis, et ad Circulum Rhenanum Superiorem pertinet. Sita est 4. milliaribus à Koelano versùs Silvam Herciniam. Recentiores illam Latinè seu potiùs græcè Hypergraciam aut Ypergraciam vocant.

Anno 1428. Civitati Argentinensi parebat, quæ cum Episcopus Argentinensis simultates gerens cives fame, urbe circumclusâ, macerarit, qui post sex mensium obsidionem se dediderunt: Tum penes Episcopum mansit

usque ad an. 1592. quo à Joachimo Marchione Brandenburgico, quem Lutherani Cathedralis Ecclesiæ Argentinensis Canonici adversus Cardinalem Carolum à Lotharingiâ in Episcopum seu Administratorem elegerant, Duci Wirtembergico unâ cum tota illius Præfecturâ seu Dynastia oppignorata fuit. Atubi post pugnam Nordlingensem an. 1634. Dux Wirtembergicus penè toto huc Ducatu exutus est, tunc etiam Urbs hæc cum tota hac ditione ad Episcopum Argentinensem rediit. Ignotum est an ab alio Episcopo iterùm eidem Duci oppignorata fuerit, an verò in pacis Westphalicæ illam ipse velut pignus legitimum denuò ~~vltimum~~ sibi asseruerit; id equidem certum, à Francisco Egone de Fürstenberg Episcopo Argentinensi an. 1664. denuò redemtam fuisse.

An. 1641. Galli Urbem hanc diripuerunt. An. 1675. et 1688. iidem Galli ea denuò potiti sunt, civesque inclementer admodùm habuerunt. An. 1689. Bavaris cessit, et cùm brevi post Galli eam adorti essent, repulsi fuêre desideratis hostium trecentis.

Parochiam hîc administrant Religiosi Monasterii Omnium Sanctorum, qui ibidem Speciem quandam Præposituræ habent, in qua Monasterii Cellerarius, Parochus et quidam alii Religiosi demorantur, Abbasque plerumque residet. PP. Capucini etiam extra muros habent Conventum.

4°. Nopinavia seu Nopinavium et Opinavium |: Nocnuau vel Oppnau :| Urbs sive Oppidum duobus milliaribus ad Euronotum ab Oberkirchio in Hercinia Silva positum. Fres PP. Capucini habent Hospitium an. 1668. fundatum.

5°. Monasterium Omnium Sanctorum |: Allerheiligen :| ~~in interiori Silvæ tribus hinc Gallicis ad orientem ab Oberkirchio positum~~ Ordinis Præmonstratensis celebre Cœnobium in Hercynia Silva loco angustissimo undique præaltis montibus circumdato situm tribus circiter Gallicis ad orientem ab Oberkirchio, ab Uta vidua Ducis Welfonis de Schauenburg nata Comitissa de Eberstein an. 1192. fundatum, cujus primus Præpositus fuit an. 1198. Gerundus dicta Uta filius unigenitus, qui at eidem 19. annis præfuit. Postmodùm etiam in partem fundationis venerunt Conradus ex Baronibus de Hunneburg in Alsatiâ Episcopus Argentinensis hujus nominis II.

et Successionis ordine LVIII. recenset Bertholdus Dux de Zäringen, qui subsidia et opes ad illius promovendum aedificium contulerunt.

Primitus prosperque dum aedificiis Religiosis fundatum fuit; successu tamen temporis praesidentium assiduo perspicaci Oeconomia Studio et Labore modici proventus ita fuerunt aucti, ut triginta Religiosis honestè sustentandis omninò sufficiant.

Praeditus Gerundus Successores Praepositos habuit triginta duos, post quos Abbatis titulo omnium primus fuit insignitus Anastasius Schlecht an. 1693. in Generali Capitulo Praemonstratensi.

Monasterium hoc aliàs Cella Sanctorensis dictum à prima sua fundatione bis in flammas abiisse memoratur, semel sub finem Saeculi XVI. eo tempore, quo Carolus Cardinalis à Lotharingia et Joachimus Marchio Brandenburgicus Lutheranus de Episcopatu Argentinensi inter se dimicabant. Tunc etiam Brandenburgici nocte in Monasterium irruentes injectis Praeposito manibus captivum abduxerunt, et Castro Dachsteinensi in Alsatia incluserunt, unde à haud amplius redit, atque ibidem in Religionis Catholicae odium trucidatus fuisse creditur an. 1595. Ei Successit Joannes Schüsler Braga in Coenobio Montis Sion, vulgò Prososs nuncupato Prior ab Imperatore Rudolpho II. missus ad recuperandum de manibus Brandenburgicorum, qui amandatis Religiosis illius possessionem ceperant, hoc Sanctorense Coenobium, quod ipsi cessit ad vota; et ubi per biennium eidem praefuisset ad suos an. 1601. Bragam redit.

Ad hanc Omnium Sanctorum Cellam seu Monasterium propter crebra miracula quae in ejus Templo fiunt, Fidelis ex variis terrarum partibus Devotionis gratiâ peregrinantur in tanta copia, ut interdum hujusmodi peregrinantes bis mille ibidem numerentur.

Cella ad Hammerspachium | Zell am Hammerbach | urbs angusta Imperialis et immediata duabus Leucis Gallicis ad Orientem à Gengenbaco. De ea nihil occurrit dicendum, nisi quòd 400. circiter ab ea passibus in Hammerspacensi territorio celebris sit ad B. V. Mariam de Vinula peregrinatio, quam Monachi Benedictini Gengenbacenses administrant, et ad quam frequens est populi concursus.

Hammerspachium autem vallis est magis libera et Imperio immediatè subjecta, quam regunt Praefectus et Senatores Justitii. Vallis haec quadringentis circiter passibus ab urbe Cellâ sumit initium et ad duo milliaria in Silvam Hercyniam porrigitur.

7°. Gengenbaum |: Gengenbauf :| urbs exigua libera et Imperialis ad Kinzicham |: Kintzing :| flumen loco amoeno milliari ad Euronotum ab Offonisburgo posita. In 30. annorum bello anno 1632. Sueci illam occuparunt, et aliàs multùm afflicta fuit. Statim ac an. 1688. bellum Galliam inter et Imperium exortum est, Galli illam intolerabilibus, hybernis, incredibilibus pecuniarum ~~summis~~ exactionibus, necnon militaribus ~~exactionibus~~ executionibus penè ad inopiam redegerunt, ac denique ad miseriarum cumulum diripuerunt et incenderunt. An. 1734. durante bello Polonico Galli denuò illam occupaverunt, sed non deseruerunt. In ultimo tandem Successionis Austriacæ bello in ea etiam semel hybema habuerunt.

Hujus Urbis ædificationi præbuit occasionem percelebre Nobilium olim Benedictinorum Imperiale Monasterium, quod sita antè ipsam extitit, atque, ubi ipsa Urbs facta est, intra muros illius conclusum fuit, et cujus Abbas immediatus est Imperii Status, atque, Ratisbonensibus de annis 1613. 1641. et 1654. Imperii Recessibus subscripsisse legitur.

Nobile Cœnobium istud fundatum fuisse perhibetur circa annum Chr. 740. à Ruthardo potenti Alsatiæ Duce et Comite Zæringensi ac ejus Conjuge Irmentrudâ, qui in eo etiam humati fuerunt. Illud S. Bonifacio Episcopo Meldensi in Galliâ tradidérunt, à quo an. 742. Monachi ~~illo~~ in illud introducti fuêre, quare à nonnullis illius fundator dicitur. Itaque dicti Ruthardi et ejus Conjugis fundationem posteà confirmavit Carolus M. dato ad id Diplomate. Postmodum et sub initium Sæculi XI. Henricus II. Imperator cognomento Pater Monachorum Cœnobium hoc restauravit, multisque professionibus et prædiis auctum Ecclesiæ Bambergensi subjecit, ejusque Gaudium esse voluit.

Porrò celebre Asceterium hoc vivos protulit tùm nobilitate, tum pietate, tùmque Scientiarum virtute præstantissimos, inter quos præcipuè celebratur Lampertus, qui ex Abbate an. circiter 1358. ad Episcopalem Cathedram Brixinensem in Tyrolì rogatu Caroli IV. Imperatoris evectus fuit, quæ postmodùm sponte dimissâ Sub an. 1364. factus est Episcopus Spirensis, tum an. 1373. Argentoratensis, ac demùm an. 1374. Bambergensis. Tandémque deposito omni Episcopali officio et dignitate ad suos an. 1398. Gengenbaum reversus sibi soli posteà vixit, ac ibidem mortuus et honorificè sepultus est.

Celebratur etiam Philippus ex nobili Elsbergen-

sium familiâ natus. Hic an. 1504. Abbas factus aliorum quorundam exemplo invitatus Canonicorum Collegium ex suo Monasterio instituere frustrà tentavit. Illud multis ædificiis ornavit, eúmque per 24. annos præfuisset, tandem Sexto die S. Joannis Baptistæ sacrâ anno salutis 1531. obiit. Eidem succesit Fridericus ex Nobili Keppenbachiorum familia oriundus. Is Scholam Monasterii per aliquot sæcula clausam primus aperuit. Cùm etiam antecessorum negligentiâ Monasterii bona dilapidata fuissent, ipse eadem frugalitate suâ restituit, ac illud multis ædificiis illustravit. Hujus Abbatis ætate bellum Schmalcaldicum sumsit initia, cujus occasione à Comite Fürstenbergico Lutherano captus mox suapte virtute liberatus est. Vitam posuit an. 1555. Ei succesit Gibertus in Metensi ditione parentibus honestis natus, ex Monacho Maurimonasteriensi Abbas Altorffensis in Alsatia an. 1554. factus, et an. ~~1556~~ 1556. Offonisburgi à vicinis Proceribus, inter quos ipse erat, quò ~~omnes~~ de eligendo novo Gengenbacensi Abbate deliberaturi convenerant, omnium votis electus, primúmque ignobilium, qui ad eam dignitatem pervenit; priores enim Abbates Gengenbacenses omnes fuêre Nobiles, ut potè ex Nobilium hujus Cœnobii Religiosorum gremio semper assumti. Is Monasterium passim suis ædificiis ruinas minitans magnis sumtibus restauravit, Scholam publicam aperuit, necnon viros doctos liberalibus stipendiis ad se pellexit, id quod veteres Abbates in frequenti usu habuêre. Vigent adhuc ibidem Studia, necnon sublimiores aquè ac humaniores Litteræ docentur.

Præteritis bellis percelebre Cœnobium istud eisdem ac Urbs ipsa, fatis fuit obnoxium; et quamvis infaustorum temporum et hominum injuriâ multas eásque præclaras amiserit possessiones, nihilominùs vel adhuc maximè floret, quamvis non amplius adeo sit opulentum. Advocatum habet Marchionem Baden-Badensem tanquam Ortenaviæ Dominum et Domûs Austriacæ Subfeudatarium.*

8°. Offonis Burgum, seu Offonis Byrgum, Offonis Castrum, et etiam Osophonis Castrum |: Offenburg :| libera et immediata Imperii Urbs ad Kinzichiam† in amœnâ planitie loco ad partem Kinzichæ paulò eminenti posita 3. milliaribus communibus ad Orientem ab Argentinâ.

* Marchio Badensis an. 1771. fatis cessit. Cujus Ortenavia una cum Advocatiâ hujus Monasterii ad Domum austriacam rediit.

† quæ elegantii ponte sublicio ibidem jungitur,

Satis pulchra foret, nisi varia aedificiorum combustorum ruina illam quodammodò deturparent. Exstructa fuisse dicitur ab Anglico Regii sanguinis viro seu Regulo vel Reguli filio, cui Offo nomen fuit. In hujus rei testimonium moneta ostenditur ab ipso cusa et in Anglia memoriam Angeli imagine cruem utraque manu ferentis; quali apparatu primi Anglorum Apostoli inclytus Beda testatur insignita, cujus monetae nummi antiqui Offonisburgenses appellantur, et quorum aliqui an. 1626. Argentorati in demolitione Monasterii S. Clarae reperti fuerunt.

Olim Offonisburgum sub Argentinensis Episcopi ditione fuit, qui illam an. 1330. à Marchione Badensi, cui ab Imperio oppignorata fuerat, emit. Postmodùm Wilhelmus Argentinensis Praesul mediam illius partem Imperatori Ruperto tradidit, ut ipsi adversùs Argentinenses opem ferret. Tandem Episcopi dominium in ea omninò deluit; id tamen haud diu ante Seculum XVI. evenisse oportet; enimverò Urbs hac nec in Rhenanorum nec in Suevicarum Urbium foederibus, quae tunc temporis vigebant, invenitur.

Anno 1632. Sueci pactis conditionibus illam obtinuerunt. An. 1688. Galli eam diripuerunt et incenderunt demolitis illius munimentis. An. 1701. Caesarei denuò munimentis aliquot illam instruxerunt, at brevi post Galli occupatam iis nudavernnt. Denique an. 1734. iidem Galli in bello Polonico propè illam Castra metati sunt; in eaque praesidium habuêre. Nunc simplici muro cingitur.

Offonisburgum est commune velut perfugium illorum, qui vel ob aes alienum vel aliud infortunium horum, qui vel ob aes alienum vel aliud infortunium horum Gallicum vertere coguntur, necnon virorum Nobilium, quorum res in angusto positae sunt, quippe qui paucis sumtibus in ea vitam satis commodam agere valent; nulla enim ibi Annona caritas.

Sub tutela Domûs Austriacae antehac fuit, at postquam Marchio Badens-Badensis Ortenaviam velut subfeudum ab illa obtinuit, tunc et urna hujus Urbis tutelam adeptus est. Modò postquam an. 1771. Marchio Badensis vitam posuit tutela haec ad Domum Austriacam rediit

Tota Catholica est. Equidem cùm Lutheranismus Germaniam pervaderet, Patritii et Nobiles, qui sat multi in ea numerabantur, atque jam Lutheri Dogmatibus imbuti erant, eam quoque Lutheranae sectae mediatati sunt, eumque, ut liberiùs ac tutiùs hac de re consilium capierent, Urbe egressi essent, Cives malum subodorati,

Urbis portis post ipsos clausis, eos iterum in illam regredi prohibuerunt.

In ea PP. Minores Ordinis S. Francisci Conventuales Coenobium habent, juventuteque magno Civium emolumento humanioribus litteris imbuunt. Habent quoque Capucini Conventum intra muros situm, cujus primum lapidem an. 1640. die 23. Aprilis posuit Comes de Schauenburg, tunc temporis, Offonisburgensis praesidii Praefectus. q

q adest etiam praeclarum et opulentum Xenodochium.

9° Schuttera seu Monasterium Schutteranum vel B. V. Maria ad Schutteram |: Schuttern :| Ordinis S. Benedicti, ad Schutteram fluvium in amoena planitie duabus leucis gallicis ad Orientem ab Offonisburgo positum.

~~Gerardum prisca Historia Offonem Nobilem Anglum primum Regem hoc Regni fastigium~~ q circa an. 600. vel 603. ~~Anglis praedicasse, Regem renidisse, Christianae fidei Germaniae venerat, et cujus~~ ~~auspicio Anglia praedicante Osphore~~ fundatum fuisse dicunt circa an. chr. 600. vel 603. ab eodem Osphore seu Offone Nobili seu Regulo Anglico, qui Offonisburgum exstruxit, et qui ad praedicandam Christi fidem in Germania venerat, et cujus curâ paulo ante Anglia S. Augustino Monacho Benedictino praedicante eandem amplexa fuerat; illudque à suo nomine Osphonis seu Offonis Cellam nuncupatum fuisse, nomen autem hoc temporis lapsu obliteratum fuisse, eique à Schutterâ fluvio, qui praeterlabitur, Schuttera vocabulum successisse.

Verùm hae fabulam redolere videntur, nec enim verisimile est, Nobilem hunc Anglium vel, si mavis, Regem, sive Regulum et Principem Fidei Christianae principium à S. Augustino, qui à S. Gregorio Papa missus primùm sub finem Saeculi VI. aut initio VII. in Angliam appulit, vix inbutum Statim in Germaniam profectum voluisse, ut ibi Christum praedicaret, p. Unde magis nobis probantur ii, qui asserunt Monasterium istud à S. Pirminio Meldensi in Galliâ Episcopo, qui an. 755. 3. Novembris vitam posuisse memoratur, post Saeculi VIII. initium et circà an. 730. à fundamentis exstitutum fuisse, ad quod Deinde post annos aliquot Offo noster Româ et ex aliis piis locis, ad quae devotionis gratiâ peregrinatus fuerat, redeuns eam venit, locique amoenitate simulque S. Pirminii amore captus ibidem reliquum vitae suae tempus transegerit Monachum induit, ac de suo patrimonio Coenobium hoc non modò aedificiis sed et proventibus auxit. Demùm sub initium Saeculi IX. scilicet an. chr. 1007.

Henricus II. Imperator, cùm iter Basileâ Argentinam faceret, in hoc Schuttorense Monasterium antiquitate et urbis incendiis collapsum delatus est, ac misericordiâ motus omnia illius ædificia restaurari et ampliari curavit, illudque multis proventibus et dictis fecit insigne, ac Caleria Bambergensi feudale constituit.

In proteritis gallicam inter et Imperium, aliisque bellis Monasterium hoc iisdem fatis ac alia Ortenavia loca fuit obnoxium, nempe incendia, direptiones, pecuniarum et commeatuum et ac annonæ exactiones sustinuit. Sub ditione Domûs Austriacæ Degit, illiusque Abbas membrum est Statûs Ecclesiastici Anteriorîs Austriæ.

§. IV.

De Dynastia Mahlbergensi.

Dynastia Mahlbergensis |: Das Obere Amt Mahlberg :| sita est inter Ortenaviam, quæ ipsi Septentrionalis est, et cui ab aliquibus adjicitur, Ditiones Lahrensem et Yerolsackensem, quæ ipsi sunt ad orientem, Ettenheimensem, quæ ad austrum vergit, et Rhenum versus Occidentem Ortenæ. Olim pars erat Comitatûs Geroldseckensis, at extinctâ horum Comitum posapiâ titulo agnationis ad Marchionem Badensem pervenit.

In ea notatur Mahlberga |: Mahlberg :| Urbs exigua at vilis milliari communi ad austrum à Schuttera dista. Ei imminet Castrum in monte collocatum olim tans. oppidò munitum. Initio Sæculi XIV. in potestate Alberti Imperatoris fuit. In Suecico Bello, modò Suecorum modò Cæsareorum fuit; hi illam an. 1641. devastârunt.

PP. Capucini propè eam habent Cœnobium à Principe vidua Leopoldi Wilhelmi Marchionis Badensis juntâ defuncti Mariti voluntatem fundatum: cujus fabricam iidem Patres exorsi sunt die 23. Octobris an. 1672. Eâ vix absolutâ Galli an. 1675. illud expilârunt, ac biennio post scilicet an. 1677. incenderunt. Tum restauratî inceptum, an. 1682. posthuminò completum fuit et absolutum.

Subsectio II.

De Marchionatu Badensi Inferiori seu Badens-Durlacensi, necnon aliis locis, quæ in Brisgoja ad illum pertinent. 9

9 Marchionatus Badensis Inferior seu Badens-Durlacensis |: Die Niedere Marggrafschaft Baden oder die

9 Marchio Badenso-Durlacensis præter Marchionatum Badensem Inferiorem, alias quoque, quas hîc recensuimus, ditiones et Dominia in Brisgoja possidet; quæ a nobis singulis §§. expendentur.

§. I.

De Marchionatu Badensi Inferiori, seu Badens Durlacensi.

9

Marggrafschafft Baden-Durlach:| limites habet ad orientem Ducatum Wirtembergensem, ad Septentrionem Episopatum Spirensem, ad Occidentem Rhenum, et ad Austrum Marchionatum Superiorem seu Badenoe Badensem et Comitatum Ebersteinum. Olim pars fuit Creichgoviæ*. In eo notatur

jô Durlacum |: Durlach :| Metropolis Marchionatus, quæ et eidem nomen tribuit, ad Effingam |: Effintz :| fluvium sita 4. milliaribus ad Septentrionem à Badenâ, et 2. ad orientem à Rheno. Nomen habere dicitur ab antiquissima turri seu Arce in proximo monte positâ, quæ olim Turris ad Lacum vocata fuit, nomenque suum Urbi, quæ antiquitùs Burdoris dicta fuit, impertita est.

Solum ejus vini, frugum, et frumenti feracissimum est, adjunctæque hortis jucundi ac optimè instituti. Sæculo XI. Comitum Hennebergensium fuisse dicitur, à quibus unà cum tota Creichgovia ad Imperium devoluta est, quam postmodum unà cum multis aliis locis Imperator Friderius II. Hermanno IV. Marchioni Badensi prò dimidiâ Urbis Brunsvicensis parte reliquit. Sub Imperatore Rudolpho I. Habspurgico multa adversa passa est, et abipso occupata fuit. Sub idem tempus Episcopus Argentinensis adversùs Marchionem belligerans illam diripuit et devastavit, sed postmodùm ab illo devictus pacem invite coactus est an. 1281.

Anno 1565. Marchio Carolus II. è Phorcano, à Civibus offertus, Sedem suam huc in Castrum seu Palatium recèns à se exœditatum et à suo nomine Carolisburgum |: Carlsburg :| dictum transtulit; necnon deinceps ipse et Successores ejus Marchiones Baden-Durlacenses nuncupati fuerunt. In hoc Castro ipsius Successores continuò residerunt usque ad Carolum Wilhelmum, qui ~~anno 1715. ut alibi dictum est~~, an. 1715. Leucâ gallicâ ab eâ Spatio novæ Urbis fundamenta jecit, quam à Suo nomine Carlsruhe vel ut Caroli quietam nuncupavit; in quam, ubi completa fuit, Sedem suam transtulit.

Anno 1688. galli Durlacum unà cum Principis palatio incenderunt ac exciderunt ita, ut nullum ipsius vestigium amplius superfuerit. Post pacem Rissvicensem Marchio Fridericus cognomento Magnus Urbem et palatium restauravit, necnon longè elegantius, quàm antèà fuerat, fecit, insolitisque variis immunitates impertivit.

2o. Phorcamum |: Pforzheim :| Urbs cum Arce loco amœno sita in confiniis Ducatus Wirtembergici ad Entiam |: Enz :| amnem, qui eam interfluit, duabus Leucis gallicis ad Orientem à Durlaco. Reuchelinus*, cujus patria Urbs hæc fuit, arbitratur, quòd Phorcys seu Phoreys quidam abactus Troja-

* Creichgovia, Creichgœa, Craichavia, et Creichovia |: Corifgaw, Korifgaw, Coriſgow, Graifgaw, Griechgowe, Graifaw, Grifaw, et Gorfogavv :| Exigua Sueviæ Regio inter Wimpinam, Heilbronnam Phorcenum et Rhenum versùs Palatinatum Inferiorem sita ad 6. circiter milliaria protenta. Fertilis omnino est, vino, frumento, aliisque rebus, tàm ad vitæ necessitatem quàm voluptatem comparatis abundat. Illius Metropolis Heidelberga dicitur.

* Reuchlinus |: Joannes :| aliàs Capnio dictus; natus pforzheim

nus illam exitavit, q. Alii verisimilius contendunt eam antiquitùs Orzynhemium ab Orzynia seu Herzynia Silva (Harzwald) voratam fuisse, unde et ab aliquibus Porta Herzynia nuncupatur.

q. ac suo nomine Osmavit.

Creditur Phorcensem, extinctis in persona Conradini antiquis Suevia Ducibus, ad Marchiones Badenses pervenisse, quod tamen incertum est; id tantùm ad dubium ponitur, Urbem hanc scilicet jam ab antiquis temporibus ad illos pertinuisse.

Phorceni an. 1455. Senatus Stutgardiæ an. 1522. ætatis suæ 67°. Vir eruditus et linguarum præsertim græcæ et Hebraicæ peritissimus, nec non ad Papam et Imperatorem legationibus celebris.

Olim fuit totius Inferioris Marchionatûs, q. Federique Marchionum, unde et ipsi Marchiones Phorcenenses dicti sunt eorumque Regionis portio Phorcensis vocata fuit. At ubi cives iniquâ suâ agendi ratione Principis Caroli indignationem incurrerunt, tum ipse Durlacum in Arcem à se primùm excitatam an. 1565. sedem suam transtulit. Attamen hodiedum adhuc Marchiones Durlacenses Phorceni sepulturam habent, ut, quibus vivis caret, saltem mortuos contineat.

q. Metropolis

An. 1601. Ernestus Fridericus Marchis Calvinisticam Religionem in hanc Urbem invehere conatus est, at Civibus constanter obnitentibus à proposito destitit. In bello Suecico multa adversa sustinuit. An. 1689. Galli eam occupavérunt, diutinque manibus ignem variis in locis subjecerunt; quæ cum abincendio utcunque servata fuisset, an. 1692. denuò redeuntes illam incenderunt. Modò potiori parte restaurata est, in eâque præter alia adest texendi Opificium admodùm quæstuosum.

3°. Carlsruha (Carlsruhe) seu Caroliquies, Urbs cum arce seu palatio [illegible] sita in confinio medio Sylvæ, quæ Haarduald nuncupatur, necnon Philippopolim usque porrigitur, lineâ gallicâ ad occidentem à Durlaco, à Carolo Wilhelmo Principe Durlacensi excitata, cujus primum lapidem 17. Junii an. 1715. posuit, sedemque Marchionum fecit.

Regulariter ædificata est, plateisque habet ad lineam ductas, ac Globelli explicati figuram refert. Trecentis circiter constat ædibus plerumque humilibus et ligneis, quibus marmorum loco lutum est. Arcis seu Palatium lapideum est, quod turri instructum est, 200. pedibus alta, è. qua non modò Urbs ipsa et ejus ri, sed et 32. ambulacra, quibus nemus intersectum est, despiciuntur. Ad illud en Urbe per amœnum hortum 4000. citris, malis aureis, p. consitum patet aditus.

Urbs angusta fossa cingitur, mœniisque. Cives partim Lutherani, partim Calvinista, et partim Catholici sunt. Capucini Domum incolunt, in cujus triclinio sacra peragunt. At modò comodium habent et Ecclesiam.

4ᵗᵒ Gottzaugia seu Augia Dei |: Gottbau :| olim celebre liberum et Imperiale Monasterium Benedictinum Dioecesis Spirensis situm ad Albam |: die Alb :| flumen. seminidiari ad occidentem à Durlaco, fundatum an. 1010. à Bertholdo Comite de Henneberg, et Monachis Hirsaugiensibus traditum, quorum studio à Bernone Hirsaugiensi Abbate missi illius abierunt possessionem. An. 1458. ad instantiam Marchionis Badensis illius Advocati reformatum fuit, et Congregationi Bursfeldensi subjectum.

Illud Lutheranismus Seculo XVI. pessumdedit, et justu Ferdinandi II. Imperatoris restitutum fuit an. 1630. Verum pax Westphalica an. 1648. concluso illud denuò ad Lutheranos transtulit. Modò vastum jacet; attamen muri adhuc residui fidem faciunt, illud olim elegans et pretiosum fuisse aedificium.

5ᵗᵒ Molibergа |: Mühlberg :| exiguum Oppidum 2. miliariis ad Occidentem à Durlaco et uno ad Orientem à Rheno. Quodammodo Segren et catenâ viam sitam est. Olim elegans et munitum Castrum habuit. Vigentibus Gallo inter et Imperium bellis Caesarei interdum hîc Castra habuerunt.

§. II.

De Marchionatu Hochbergensi

Marchionatus Hochbergensis seu Alto-Montanus |: die Marggrafschaft Hochberg :| ad orientem Septentrionem et Austrum Brisgoja Austriacâ clauditur; ad occidentem verò Rheno adjacet. Notatur in eo

1º Hochberga seu Mons Altus |: Hochberg :| Arx antiquissima, quam Sub Carolo M. quidam Hachs construxisse dicitur. ¶ Sita est in eminenti colle seu monte Lauea gallica ad Orientem ab Emmendinga. Olim invincibilis habita est, at an. 1689. galli eam occupaverunt et exciderunt. Modò vehit sub ruinis suis vasta jacet.

¶ Nomen tribuit Marchionatui.

2º Emmendinga |: Emmendingen :| Urbs exigua ad Elzam |: Eltz :| flumen posita 2. miliariis ad Septentrionem à Friburgo Caput Marchionatûs. An. 1590. curante Marchione Badensi hîc Catholicos inter et Lutheranos Theologos institutum fuit colloquium, quod post Sessionem septimam sine fructu dissolutum est.

3º Tennenbaum seu Porta Coeli |: Tennenbach :| Celebre Ordinis Cisterciensis Monasterium 2. miliaribus ad Septentrionem à Friburgo Dioecesis Constantiensis, at quidem intrà limites Marchionatûs Hochbergensis collocatum, tamen ditionis Austriacae; illiusque Abbas membrum est Statûs Ecclesiastici Anterioris Austriae. Fundatum dicitur

hoc Coenobium an. 1156. à Landgraviis Stülingensibus.

§. III.

De Dynastiis Badenvillensi, Roctelnensi, et Landgraviatu Susenbergensi.

Ha tres Ditiones ita sitæ sunt, ut Badenvillensis Septentrionem, Roctelnensis Austrum, medium verò Susanbergensis teneat. Ad Septentrionem, Orientem et Meridiem Brisgojâ Austriâ cinguntur, et Occidentem Rheno finiuntur Basileam usque. Ocurrit

1ª Dynastia Badenvillensis |: Die Herrschafft Badenweiler :| Landgraviatui Susenbergensi ad Septentrionem posita est. Illam anno 1444. Joannes Comes Friburgensis Hugoni et Rudolpho Marchionibus Badensibus cepit ea tamen conditione, si minimum absque liberis è vita discederet, quod et factum est. Notatur hîc

Badenvilla seu Badenweilerium |: Badenweiler :| Oppidum cum arce. Nomen habet à celebribus Thermis, quæ ibidem sunt, ac quotannis multùm frequentantur, quod reliquæ Dynastiæ ipsi tribuit.

2ª Dynastia, olim Marchionatus Roctelnensis |: Die Herrschafft Rötteln :| Landgraviatui Susenbergensi ad austrum posita. Olim Speciales suos Dominos et possessores habuit, quorum aliqui Episcopi Basilienses fuerunt. Eorum ultimus Lutholdus Cathedralis Ecclesiæ Basileensis Præpositus à vivis excessit an. 1320. postquam prius per Donationem mortis causâ Dynastiam seu Toparchiam hanc Henrico VI. de Susenberg Horkbergica-Badensis prosapiæ legasset. Ubi autem an. 1503. Philippus Horkbergica-Badensis Stirpis Landgravius Susenbergensis nullo post se relictâ prole masculâ vitam posuisset, tùm Roctelnensis Toparchia unâ cum Ditionibus Badenvillensi et Susenbergensi vi pactorum à Maximiliano I. Imperatore confirmatorum, per Sententiam Imperialis Cameræ Spirensis, Christophoro Marchioni Badensi delata fuit et adjudicata, nequicquam obnitente Ludovico Duce de Longavilla |: Longueville :| qui Joannam unicam dicti Philippi filiam uxorem habebat, cui una cum titulo Marchionis Roctelnensis Juntanat, Comitatus seu Principatus Neocomensis |: Neuburg :| qui etiam ad Philippum pertinerat, relictus fuit.

Toparchia hæc seu Dynastia nomen habet à parva Urbe Roctelnâ milliari ad Eurum aquilonem à Basileâ loco satis amœno pontâ. Eidem impendebat Cartnum à Friderico Marchione Badensi, ut fertur, excitatum, quod in proteri Paulibello diutum et penitùs exitium fuit.

In ea etiam antehac Arx fuit Friedlinga |: Friedlingen :| dicta semimiliari à Basilea et è regione Hemminga posita. Notam fecit proelium propè illam Caesareos inter et Gallos an. 1702. initum, in quo Equitatus Caesareus et Peditatus Gallicus cesit fuerunt. In ea durante bello Fridericus Princeps Baden-Durlacensis aliquamdiu demoratus est. Nunc prorsùs diruta et solo aequata est, nec ibi aliud occurrit nisi Canonica ipsius nominis heres, ad quam vehit jucundum locum Basilienses interdum veniunt Spatiatum.

3°. Landgraviatus Susenbergensis |: Pfirtenbroog, Pfirtenbroog :| inter Dynastias Badenvillensem et Roetelnensem Situs est, huic ad Septentrionem, illi ad Austrum, et ad Occidentem Rhenus finitur. Anno 1503. quod primum diximus ad Badenses Marchiones pervenit. In eo nihil specialiter venit notandum. Archiduces Austriae tanquam Successores Dnum Zeringensium, ratione hujus Landgraviatûs aequè ac Dynastiarum Badenvillensis et Roetelnensis Marchionem Badensem tanquam Subditum Suum habere voluerunt.

Sectio VI.

De caeteris Dominiis Brisgoja Imperio immediatè Subjectis.

Praeter Ditiones Principum Badensium adhuc quaedam in Brisgojâ numerantur Imperio immediatè subjecta, quos etiam hîc expendimus.

§. I.

De Ditione Lahrensi.

Ditio Lahrensis |: Herrschaft Lahr :| Sita est inter Ortenaviam, quae ipsi est ad Septentrionem, Dynastiam Geroldseckensem, quae versùs Orientem est, Mahlbergensem quae ad Austrum vergit, et Rhenum versùs Occidentem.

Fortè antiquitùs Marchionum Badensium fuit, et postmodùm ad Comites Geroldseckenses pervenit, penes quos permansit usque ad an. 1393. tunc enim Mauritia et Saverna Comites, qui ipsis affinitate conjunctì erant, ad Simultaneum hujus Ditionis Dominium admissi fuêre; ubi autem horum Comitum prosapia masculina cum Joanne Jacobo an. 1574. extincta fuit, tunc illius patrui filia Catharina Joannis Ludovici Comitis Wasserio-Sarepontensis conjux [illegible] inter alia etiam Lahrense Ditionem jure feudum muliebre sibi asseruit. Re ad

judicium perlata tandem anno 1595. Comes Nassovius Spirensis Camerae Imperialis Sententiâ ad illius restitutionem condemnatus fuit, cuigtamen, petitâ litis revisione, executionem stitit. Interim tandem anno 1625. cum Jacobo de Gerolseck transactio inita est, ei cujus ipse Ditionem hanc Domui Nassovio-Saraponteusi cessit pro 100000. florenis eâ tamen conditione, ut quandiu haec Summa non solveretur, ipse ex hujus Lahrensis Dominii reditibus illius centum seu, ut ajunt, pensionem perciperet. Mortuo absque prole Jacobo de Gerolseck, transactio haec cum Marchione Badeno-Durlacensi illius Herede an. 1632. innovata, et an. 1652. repetita fuit; cumque Comites Nassovii Summam hanc solvere negligerent, tum Imperialis Camera Spirensis Sententiâ in plenam hujus Ditionis possessionem immissi fuerunt, eamque tenuerunt usque ad an. 1724. tum enim Consilium Imperiale Aulicum pro Domo Nassovio-Saraponteusi Sententiam tulit, eique facultatem praebuit illam sibi redimendi, quod et factum est, qua, Domo hac breviport extinctâ ad Nassavio-Usingensem prosapiam pervenit, quam hodiedum adhuc possidet. 4 Marchiones Badeno-Durlacenses

Notatur hîc Lahra |: Lahr :| Urbs exigua sed populosa et mercantilis, toti Ditioni nomen tribuens sita ad Schutteram fluvium 2. milliaribus communibus ad Austrum ab Offonisburgo. Tota Lutherana est.

In ea fuit celebre Canonicorum Saularium Collegium pinguibus et opimis proventibus à primâ suâ fundatione quorunque Dominum auctore liberalissimè dotatum et locupletatum, quod Fridericus Senior Marchio Badeno-Durlacensis, postquam, extinctâ Comitum gerolseckiorum Stirpe, illius cepit possessionem, ejectis Canonicis presumserit, reditusque juris sui fecit.

§. II.
De Dynastiâ seu Comitatu gerolseckensi.

Comitatus seu Ditio ac Dynastia gerolseckensis |: die Grafschaft Gerolseck, seu Lahren-Gerolseck :| nomen habet à Castro in sublimi monte supra Saxum Schutteram inter et Kinzicham amnes posito milliari versùs Orientem à Lahrâ; quod gerolfus quidam Italus natione et Suevorum Bellidux, qui aetate Caroli M. in Germaniam venit, excitasse, necnon Comitum gerolseckensium auctor fuisse dicitur. At quidquid hac de sit, tanquam verus et genuinus Stirpis hujus auctor habetur Otto Comes Gerolseckensis, qui an. 1182. notus fuit.

Castrum verò in praeterito Saeculi bello Galli munimentis, quae satis valida erant, nudavernnt ac devastaverunt.

Extinctâ circa an. 1632. horum Comitum prosapiâ, Marchio Burlacensis agnationis proximo titulo hujus ditionis possessionem arripere voluit, at ab Imperatore Ferdinando II. quod illa Domus Austriaca subfeudum esset, repulsam passus est, qui eam, velut sibi Domuique suæ apertum feudum Comitibus de Cronberg seu Cronburg tradidit, quorum etiam tanquam Comitum Gerolzeckensium jam an. 1641. in Ratisbonensi Imperii recessu mentio facta est; qui et illam possederunt usque ad an. 1704. quo illorum prosapia penitùs defecit, tùmque frustrà obnitente Marchione Burlacensi, qui jam per suos Ministros illius possessionem arripuerat, Comiti de Leyen in feudum concessa fuit.

Comites de Gerolzeck olim Advocati fuerunt Monasteriorum Benedictinorum Schutterani et Ettoniani seu D. Ettonis, vulgò Ettenheimmünster dicti.

§. III.
De Dynastia Ettenheimensi
Et
Monasteriis Ettonianis.

Dynastia Ettenheimensis |: ab Urbe Ettenheim :| Urbe exiguâ tribusque pagis comprehenditur. ad aquilonem ditione Mahlbergensi, ad occidentem Rheno, ad austrum Brisgojâ Austriacâ, et ad orientem Monasterii Ettoniani dominio clauditur, necnon Circulo Rhenano Superiori adjecta est.

Nomen ei tribuit Ettenheimium |: Ettenheim :| Urbs angusta ad ejusdem secum nominis rivum |: Ettenbach :| sita semimilliari ad austrum à Mahlberga, et milliari communi ad occidnum à Monasterio D. Ettonis seu Ettonianum.

Ab Ottone seu Ettone Comite Habspurgico circà an. 734. una cum Castro in monte collocato exstitata fuisse dicitur. Castrum hoc temporum et hominum injuriâ dirutum et exesum fuit, in cujus loco Ecclesia parochialis constructa fuit, quæ ibidem adhuc extat. modo paulò inferiùs nova exstructa est.

Anno 1639. mense Augusto Suecis-Wimarienses copiæ Urbem hanc occupaverunt. Postmodùm in secutis Belli Gallici inter et Imperium variis calamitatibus prossa fuit.

De
Monasterio Ettoniano.

Milliari communi ad orientem propè Undizam |: Unditz :| rivum situm est Ordinis S. Benedicti Monasterium Divi Ettonis seu Ettonianum |: Ettenheimmünster :| dictum, in angusta amœna sed admodum angusta et ad orientem, austrum et aquilonem jucundis montibus obsessâ valle, adeò ut quamdam amphitheatri speciem exhibere videatur.

Hujus Monasterii historia satis obscura videtur; frequentes enim devastationes et incendia, quibus à primævâ fermè fundatione suâ afflictum fuit, omnia illius monumenta et documenta sustulêre adeò, ut ex iis nihil penè reliquum eidem sit præter Testamenti Divi Ettonis Episcopi Argentinensis in ipsius favorem anno Salutis 779. 3. Idus Martii conditi authenticam copiam.

Circà annum Christi 900. fundatum dicitur à Wigero seu Wigerino aut Wigeno Monacho et postmodum Ecclesiæ Argentinensis Episcopo, atque abeo Cella Monachorum vocatum, quod temporum et bellorum incuriâ desolatum et collapsum restauravit Otto seu Etto, vel etiam Hatto, aut Heddo ex Comitibus Altenburgensibus postèa Habspurgicis, anno 734. quo ex Angia Divite, ubi post S. Rimininum Abbas fuit ab ipsomet S. Riminio annuente Carolo Martello Clotarii Francorum Regis Majore Domûs constitutus, ab eodem Carolo extractus ad Episcopatum Argentinensem promotus est; prout immit Inscriptio, quæ binis versibus comprehensa in veteri Ms. legitur:

Anno ter deno Septingentesimo quarto
Antistes Claustrum renovando condidit Etto.

Episcopatui huic præfuisse dicitur annis 46. ab anno videlicet 734. usque ad an. 780. quo meritis plenus ad Superos evolavit, in eodem Monasterio, quod ab ipsius nomine deinceps Ettonianum vocatum est, sepultus cum hoc Epitaphio:

Heddo Brasul Argentinensis Ecclesiæ, Renovator hujus Loci.

Monasterium hoc pulchris et amplis ædificiis ornavit non modò, sed et variis in Alsatiâ, Brisgojâ et Ortenauiâ villis, prædiis, oppidis, pagis, pratis, piscinis, molendinis, piscationibus, manipiis perpetuis, curte unâ in Urbe Argentinensi, Basilicis, Hubis, casis, decimationibus, in Marsalla Lotharingica Urbe mediâ patellâ salis et censûs, cæterisque bonis, quæ in Argovia, cui Comites Altenburgenses postèa Habspurgici imperabant, possederat, prò trigintà Mona-

chis Benedictinis liberalissimè dotavit, quemadmodùm disertis verbis in suo testamento, quod uno ante obitum suum anno videlicet 779. 3. Idus Martii condidit, necnon in præfato Monasterio q copialiter q observatur, omnia hæc expressa leguntur.

Proindè Cœnobium istud, quod, prout jam primùm annotavimus, ineuns Ettonianum sive Divi Ettonis |: Ettonsmünster :| nuncupatum fuit, celebre admodùm et spectabile factum est. Verùm Seculo XI. Liber Baro de Hohenstauffen |: cujus posteri Duces Suaviæ facti sunt, quod alibi memoravimus :| Imperatori charus, abeo facultatem obtinuit hujus Monasterii bona et prædia militibus suis addicendi; quo factum, ut tunc jam multùm de suo splendore ipsi deperiret. Postmodùm multotiès direptum et incensum fuit, præsertim Sæculo XIII. ac per eam ætatem qua Imperium vacavit usque ad ~~imperatos~~ annum 1273. quo Rudolphus Habspurgicus Imperiale Solium consecendit. Bellis etiam, quæ variis temporibus Germaniam afflixerunt, vel maximè depressum fuit; præcipuè autem in triginta annorum bello: tum enim Sueci ejectis Monachis, et Abbate capto, vo Kenzingam Austriæ Anterioris Urbem duobus circiter milliariis communibus à Monasterio distantem abducto, ubi præ mœrore contabuit, ejusdem Monasterii, illiusque bonorum et prædiorum possessionem sibi asseruerunt ac retinuerunt usque ad an. 1648. quo vi pacis Westphalicæ totâ Germaniâ excedentes, illud et deseruerunt cum variis illius Documentis asportatis, quæ Christina Suecia Regina Romam detulit, ubi modò in Bibliothecâ Vaticanâ asservantur.

Tunc Monachis omninò deparperatum Cœnobium suum repetere datum est, ac post annos aliquot à Principali S. Galli in Helvetiâ Mo-

nasterio sibi Abbatem postulârunt et obtinuerunt P. Franciscum Hertenstein, qui ibidem Sub-prioris munere fungebatur. Is Monasterium istud Sapienti suâ agendi ratione iterùm, si non antiquo, saltem aliquanto Splendori restituit. Obiit an. 1686. postquam per triginta annos Summa cum Laude eidem praefuisset.

Tertius ab ipso ejusdem Coenobii Abbas fuit Joannes Baptista Eck Friburgensis Brisgojus, anno 1719. 10. Martii electus, et anno 1740. 24. Aprilis Viennae Austriae Senatus. Hic novam Monasterii Structuram eámque amplam et satis magnificam excitavit; Bibliothecam quoque multis librorum millibus auxit.

Duùngentis circiter versùs Occidentem à Monasterio passibus extat Ecclesia, quae S. Landelini dicitur, et Balneum ejusdem nominis, quod variis, praesertim artuum, morbis medetur, et in quo singulis annis, praesertim in aestate, magna est utriusque Sexûs personarum frequentia.

Vetus est traditio Scotiae Nobilem seu Principem, imò, ut quidam, sine sufficienti fundamento tamen, volunt, Regis Scotiae filium, cui nomen Landelinus fuit, relictâ Regiâ et patriâ versùs Germaniam iter arripuisse, ac tandem transmisso Rheno ad locum Altorff dictum, ubi aliquot erant Rusticorum tuguria primùm venisse, ibique aliquamdiu apud pauperculum viduam, cui filia erat ambobus oculis orbata, divertisse, indè in densam Sylvam penetrasse, ac eo loco, ubi nunc est Ecclesia, quae, ut jam dictum, ab ipsius nomine Ecclesia S. Landelini appellatur, milliari ab Altorff resedisse. Haud procul inde in monte versùs Meridiem Regulus quidam, Gisoeus nomine, in

Castro, quod et abipsius nomine Gisori Castrum
|: Gisenburg :| vocatum est, et cujus adhuc rudera quædam supersunt, morabatur. Is, cùm ab uno è suis Venatoribus comperisset, esse in Silvâ virum peregrinum, et, quod quidem Venator ajebat, Magum, qui suis incantationibus feras, quas ipse persequebatur, ad se pelliceret, furore percitus Venatori præcipit, ut illum è medio tolleret: hic igitur citato cursu ad eum locum, ubi S. Landelinus erat, veniens eidem oranti caput amputavit, tùmque statim quinque limpidissimæ aquæ fontes è terrâ prosiluerunt, bini scilicet ad ejus pedes, bini ad manus, et ad collum unus, prout hodiedum adhuc singuli oblaqueati cernuntur. Paulò post Altorffensis vidua hospitem suum quæsitura et invenura ad locum unà cum suâ filiâ huc veniens, illum expansis artubus in suo jacentem sanguine invenit, et eodem S. Martyris sanguine linitis filiæ suæ oculis, ipsa statim visum recepit. Id circa annum salutis 640. evenisse ajunt.

Hæc veteri duntaxat traditione accepimus. Id sanè certum est, horum nempè fontium aquam, quæ pro illâ tunc temporis commodè calefacta ad balneum aptatur, jam ab antiquissimis retrò sæculis nivos et supra capitum hóminis prodiisse effectus, variisque et penè desperatis languoribus et morbis mederi: proinde Catholici contendunt illam esse miraculosam et quamdam supernaturalem virtutem in se continere, incredibile nimirum ipsis videtur, aquam hanc, quæ limpidissima et purissima est, nihilque minerale vel terreum admixtum habet, quod variis Medicorum tàm Acatholicorum quàm Catholicorum experimentis probatum est, adeò nivos effectus producere posse.

Medio circiter ab hoc Monasterio miliari versùs Occidentem et paulò ad Dexteram in monte ac inter Silvam locus est, qui Fratrum hortus |: Brüder-garten :| dicitur, et ubi, præter ingentem craterem unico lapidi incisum, adhuc quædam veteris ædificii rudera: unde quorumdam conjectura est, ibidem primitus Monasteriolum an. 700. à Wigerno exstitatum fuisse, quod deinde Otto Habspurgicus in suum, in quo nunc est, locum transtulerit. Verùm obmurmurant alii, quod hujus è monte et Silvâ Monasterii translationis nullibi fiat mentio. Fortè Religiosi quidam vitam eremiticam, quod olim satis frequens fuit, acturi se è Cœnobio in montem hunc et Silvam contulerunt, p.

Ex hoc Monasterio, inter alia Opera, an. 1751. primâ vice prodierunt in Lucem Biblia Sacra Latino-Germanica nitè per totam Germaniam celebrata.

Sectio VII.

De Landgraviatu Fürstenbergia.

Landgraviatus Fürstenbergius [: Ihr Landgrafschaft Fürstenberg :] possidetur ab antiquissimâ simulque Illustrissimâ Imperii Familiâ, quæ quidem priori Sæculo Principum numeroque quidem prior primum adscripta, Illis autem dignitate et auctoritate à multis retrò Seculis par semper est habita.

Inter Ducatum Wirtembergensem, Hohenbergensem Comitatum Superiorem, aliáque Austriaca Dominia, Brisgojam, Sylvam Hercinianam Sive, ut vocant, Nigram, Lacum Bodanicum, Pagum Scaphusianum, aliásque terras ita Situs est, ut Duplicata Aquila figuram exhibeat nubibi tamen sibi cohærentis, sed aliis atque aliis Principatibus ac ditionibus fermè ubique ita intercepta, ut de ejus Longitudine ac Latitudine certi quidquam Statuere admodùm difficile videatur. Sic Dynastia Hausen in Valle Kinzingana à Landgraviatu Baarensi per Dynastiam Hornbergensem quinque Leucis disjungitur: Sic versùs Euronotum Landgraviatus Nellenburgicus Comitatum Sacromontanum seu Heiligenbergensem à Dynastiâ Hohenhoevensi Landgraviatui Baarensi contaminâ quatuor Leucis avellit; qui et ipse Comitatus Sacromontanus à Messkirchensi, ab hoc iterùm Dynastiæ Inferiores Frickthalfingana et Jungnaviensis versùs Boream; Occidentem versùs Landgraviatus Baarensis Principatibus ibi Dignavingano, hic Würtembergico et Landgraviatu Nellenburgico interjacentur.

In eo sf continentur Landgraviatus Fürstenbergius q universim seu Baarensis, et Stühlingianus, Comitatus Heiligenbergensis et Messkirchensis; Dinastiæ Gundelfingensis; Wolfachensis et Haslacensis; ke Dina ultima sub nomine Dynastiæ Hausen in Valle Kinzingana communiter veniunt, quamvis duas separatas Dynastias constituant: Hohenhoevensis, Wildensteinientis, Waldsyergensis, Frickthalfingana, et Jungnaviensis. Præter has ditiones Serenissima Domus Fürstenbergia possidet in Austriâ Superiore

Dynastiam Veitracensem, et in Bohemiâ nonnullas Waldsteinianas ditiones. Illam modernus Serenissimus Princeps Josephus fratri suo Landgravio Ludovico Augusto Egoni Caesareo Majestatis quondam à Consiliis intimis necnon Imperii et Circuli Suevici rei tormentariae Praefecto Supremo vagrevioso an. 1759. è vivis sublato cessit: hic verò Principis hereditarii fratri Landgravio Carolo Egoni Sacro-Caesareo, et Caesareo-Regiae Majestatibus à Consiliis intimis ex hereditate Maternâ obtigerunt; cinas itenùm Stirpes quasi in subsidium fundaturis.

Quoad horum terrarum et ditionum positionem et situm, Landgraviatus Fürstenbergius seu Baarensis vetus ac praecipuum nobilissimae hujus prosapiae patrimonium collocatus est circà fontes Danubii et Nisi seu Nicari inter Ducatum Wirtembergensem, Comitatum Superiorem Hohenbergensem, Ditionem Hohenbergensem, Landgraviatus Nellenburgicum ac Stuhlinganum, Pagum Scaphusianum et Rottvilam Imperii Urbem; versus occidentem in Sylva Nigra Brisgoja confinis est, necnon Tuttlingam Urbem ac Dynastiam Wirtembergicam usque Septem Leucis in longitudinem protenditur, totidem à Pago Scaphusiano, quì ipsi ad Austrum contarminat; ad territorium Rottvillense versùs Aquilonem latus est.

Ante hac Ditionibus Fürstenbergiis plures ejusdem prosapiae dominabantur familiae. Medio quidem aevo inter cateras eminebant Fürstenbergia κατ' ἐξοχην ita dicta, et Friburgensis: illa ut patrimonium, ita et nomen gentilitium Comitum de Fürstenberg retinuit; haec ab Urbe Friburgo Brisgojae Metropoli, et Comitatu Uracensi cum aliis terris ex hereditate Ducum Zaringensium noviter acquisitis norum Comitum Friburgensium et Uracensium nomen, gentilitis ex illorum temporum more relicto, sibi adsciscente. Haec anno 1456. penitùs extincta cessavit.

Ex priori Stirpe adunitium Saeculi XVI. Friderius Fürstenbergius, quem Seniorem appellant, Ditiones Fürstenbergias, Comitatu Sarromontano, huicque, quod ajunt, incorporatis Dynastiis inferioribus Frocktelfingana et Jungnaviensi auctas post obitum fratris sui Wilhelmi improlis solus omnes possedit; quae post ejus obitum in tres ejus filios Christophorum, Henricum, et Joachimum ita divisa fuerunt, ut

natu maximo Ditiones in Valle Kinzingana unâcum Dynastiis Mockingensi et Blombergensi ex Landgraviatu Baarensi: natu secundo cetera ex modò dicto Landgraviatu: natu minimo Comitatus Sauromontanus, cum prædictis duabus Dynastiis Inferioribus obtigerint; abeo Stirps seu Linea Heiligenbergensis fundata fuit, quæ an. 1716. unâcum Principe Antonio Egone Electoratûs Saxonici Gubernatore extincta est.

A natu maximo Kinziga-Vallensis seu Blombergensis fundatore, in Meßkirchensem per Vratislaum juniorem, et Fratrem ejus Fridericum Rudolphum in Stühlingensem ramos iterum abeuntis hodierni Principes et Landgravii Fürstenbergii descendunt; quorum prior ramus cùm anno 1744. in Principe Carolo Friderico Nicolao celebratissimi illius toto Imperio Principis Frobenii Ferdinandi Fürstenbergio-Meßkirchensis filio longioris ævi dignissimo defuisset; quidquid terrarum Heiligenbergensis et Meßkirchensis familiæ in Imperio et Austriâ possederant, ad Stühlingensem devolutum est; quibus modò juxe, ut vocant, primogenitura imperat S^mus Princeps Josephus Wilhelmus Ernestus Maria tribus Imperatoribus Carolo VI. et VII. necnon Francisco I. à Consiliis Statûs intimis, et Eorum ad Imperii Comitia Commissarius Primarius plenâ cum potestate delegatus.

Landgraviatus Stühlingensis hinc Boream versùs Landgraviatu Baarensi, illinc versùs austrum Pagus Scaphusiano terminatur, ab Occasu et Meridie Landgraviatum Kleggoviensem* confinem habet:

* Landgraviatus Kleggoviensis. de illo infra Sect. VIII. nobis est sermo, ubi vide.

Comitatûs Heiligenbergensis fines ad Eurum Schussa fluvius, ad Zephyrum Landgraviatus Nellenburgicus, ad Austrum lacus Bodamicus, ad Boream Principatus Sigmaringensis constituunt. Ejus longitudo, si tractum ad illum pertinentem, qui tamen antehac et quod excurrit sæcula abeo avulsus, à prepotenti Vicino viâ facti, ut loquimur, hodiernum adhuc detinetur, computes ad 5. milliaria porrigitur, latitudo verò fermè ad totidem.

Meßkirchensem itidem Principatus ac Comitatus ubique circumscribunt, nisi ubi versùs

orientem Dynastia Gundelfingana contermínus est.

Tractum, qui Ditiones Fürstenbergicas perfluunt, fluvii sunt Danubius et Nicarus, qui in eo oriuntur, Kinzicha, et Brega, qua ~~Brigam Vicum irrigant, et Geisinga ad Danubium~~ praeterfluunt proximè Eschingianum Vicum Danubio immergitur. In iis aestate mercentur

3° Rippliensangia [Ripplingau seu Ringoltzau] medicati fontes seu Acidulæ celebres, ad quas aestate quavis magnus est omnis conditionis personarum confluxus. Sitæ sunt in Dynastia Wolfacensi et confiniis Ducatûs Wirtembergici milliari versùs Occidentem à Freudenstadio, et duobus versùs aquilonem à Wolfachio.

Harum scaturigine à Metallariis circùm eam metalla fodientibus ante 70. et quod excurrit, annos sufforatâ, sola earundem ingrata duntaxat superfuit memoria, donec ante aliquot annos operâ alterius Metallarii denùò inventæ abundanter fluere coeperunt; tùmque Statim magni Sui Principis sumtibus vetera, quæ circà illas erant, ædificia restaurata, novaque ampla et magnifica ingenti hùc adventantium commodo exstructa fuerunt, ita, ut locus modò exiguum quoddam Oppidum à Situ satamplo, et ambulacris nemorosis peramœnum referre videatur.

Mille circiter ab iis versùs Austrum passibus extat ejusdem nominis exiguum Ordinis S. Benedicti Monasterium Diœcesis Constantiensis et Abbatiæ S-Georgii in Sylvâ Hercinià subditum, &c, ut ajunt, incorporatum. Ante Lutheri tempora, et ubi S. Georgii Asceterium adhùc subsistit, vastissimum fuit, in eóque novi S. Georgii Alumni Novitiatum peragere consueverant. Hodiedùm adhùc superest sub Abbate novi Monasterii Villingensis loco Abbatiæ San-Georgianæ substituti. In eo bini duntaxat sunt Religiosi, quorum unus Prior vocatur, alter verò parochiam eidem Monasterio annexam administrat.

2° Wittichense seu Wittigense [Wittichen] Ordinis S. Claræ Virginum Cœnobium, duobus circiter milliariis ad Austrum à Rippliensangiâ Diœcesis

Constantiensis positum inter horridos montes angusto loco; à proximis fodinis argentariis aliisque metallicis, ex quibus tinctura cerulei coloris Berolinensi haud absimilis eruitur, percelebre. Idem perfluit seu potius subdecurrit rivus ita, ut pontis binas ipsius littora jungentis speciem referre videatur.

Coenobium hoc, quod quidem narrant, venerabilis quaedam Virgo humili quidem sed honesto loco nata Leutgardis nomine à Christo ipso sapius ad hoc ei apparente jussa circà an. 1290. recens construi et fundari curavit congestis hanc in rem variorum piorum fidelium eleemosinis.

In eo primùm fuêre Sorores tertiae regulae S. Francisci, at an. 1376. jussu Gregorii Papae XI. S. Clarae Ordinem amplexae sunt, earúmque Superior Abbatiali dignitate decorata fuit.

Ubi Lutheranismus Germaniam inundavit, fracto quidam brachii saecularis adminiculo unâ cum uxore et liberis in hoc Monasterio domicilium sumum fixit, necnon per decennium annorum et quatuor mensium spatium demoratus est, túmque, quod Abbatissa et unica Sanctimonialis, quae remanserant, loco cedere nollent, expilatum deseruit.

Monasterium istud ternâ vice incendii damna sensit, semperque restauratum fuit. In illius Ecclesia sepulchrum ostenditur Sctae Venerabilis Virginis Leutgardis, ad quod, etsi ipsa nondum à Summâ Sede Sanctorum albo sit inscripta, frequentes fiunt, praesertim foeminarum praegnantium et puerperarum, peregrinationes.

3º Wolfachium [: Wolfach :] Urbs exigua prope Kinzigham, ubi ejusdem cum Urbe nominis fluvius illi immergitur, sita in confiniis Ducatûs Wirtembergici 3. milliariis ad Austrum à Wittichensi Coenobio. Residua pars est veteris Comitatûs Hasacensis. In ea Princeps Fürstenbergius amplum habet palatium non tamen ex omni parte completum, ui perpulchrum junctum est viridario. anno 1703. Galli Urbem hanc occupaverunt. Ampla Dynastiae nomen tribuit.

4º Hasacum [: Hasach seu Haslach :] angusta admodum Urbs ad dextram Kinzichae ripam posita milliari ad Africum à Wolfachis. Olim caput fuit

ejusdem Seculi nominis Comitatûs. Ei impendebat Castrum Iorus natalis Serenissimæ Familiæ Fürstenbergicæ, cujus adhuc supersunt rudera quædam, et quod Seculo priori à Suecis, et subinitium præsentis à Gallis diruitum una cum urbe conflagravit.

Extrà muros illius olim fuit Virginum Coenobium, quod sive temporum sive hominum injuriâ disperiit. Ecclesia ipsius adhuc superest adeò angustâ, ut Sacellum duntaxat referre videatur.

Præteritis Gallos inter et Germanos bellis, hi propè illam, et supra vicinos montes propugnacula habuerunt, quò Gallos per Sylvam nigram in Sueviam transitu quodammodò arcerent.

9º Hastachium [: Gabling :] Urbs exigua ad Kinzicham posita milliari ad occidentem ab Husaco. An. 1703. Galli in Sueviam movantes transeundo illam occupârunt. Anno sequenti post pugnam Hochstadiensem Maximilianus Bavariæ Dux Cæsareos victores fugiens illam incendit. Ibi ea ante annos aliquot Statio vectoria constituta fuit. Ampla satis Dynastiæ nomen tribuit. Extrà muros PP. Capucini habent Monasterium, quod an. 1630. Friderius Rudolphus Comes Fürstenbergius votis genitoris sui Christophori satisfacturus fundavit, propriisque sumtibus excitavit, perpetuâmque iisdem venerandis Patribus annonam constituit.

6º Eschingianus Vicus seu Danubii Fontes [: Donaueschingen, Donaueschingen, et Honorschingen :] amplum Oppidum cum Castro seu Palatio ordinariâ Principum Fürstenbergio-Stühlingensium Sede. Situm est milliari ad austrum à Villingâ urbe Austriacâ in Landgraviatu Baarensi positâ; tribus ad austrum à Rotvilâ, et totidem versùs Boream à Staphusio. Ipsa Palatii area Danubius totius Germaniæ inò Europæ fluminum primus scaturit. In hoc Oppido etiam residet totius Fürstenbergii Principatûs Supremum Dicasterium seu Regimen.

7º Monasterium Amptusanum [: Amptshausen :] Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti sub curâ et directione Abbatis S. Georgii, qui modò Villingæ residet, Diœcesis Constantiensis, inter Sylvas collocatum milliari et amplius ad Orientem à Danubii fontibus. Fundatorem veneratur S. Theogerum tertium Abbatem Sanct-Georgianum postea Epis-co-

pum Metensem in Lotharingia, qui 700. utriusque Sexûs Religionis profuit, ac an. 1120. 29. Aprilis ad Superos abiit in vitâ et post mortem miraculis clarus.

Ad finem Saeculi XI. pro alendis centum Virginibus ab eo fundatum fuisse perhibetur. Annis incirca decentis postea bellis horridis in deterius redactum à Rudolpho Habspurgico restauratum, et à Langraviis Fürstenbergiis loci patronis tempore Lutheri contrà Duces Wirtembergicos acriter defensum. Incorrupta Religiosa disciplina à primâ fundatione ad nostra usque tempora conservata laude celebratur. Ex ejus Superioribus Maria Gertrudis prima ad Abbatialem dignitatem priori saeculo ab Abbate Georgio fuit evecta.

8º Novostadium seu Neostadium [:Neustadt:] Urbs admodùm angusta posita in Hercinia Silva 7. leucis gallicis ad ortum à Friburgo Brisgojæ. Dynastiæ nomen impertit, estque in ea Statio vicedaria. PP. Capucini hîc etiam habent Coenobium an. 1669. fundatum à Maximiliano Francisco Fürstenbergio-Stühlingensi Landgravio.

9º Villa pacis [:Friedenweiler seu Friedenweiler:] Sanctimonialium Ordinis Cisterciensis Monasterium Diœcesis Constantiensis situm in Nigrâ Silvâ, et leucâ gallicâ ad Eurum à Neostadio disitum.

Fundatum perhibetur an. 1123. à Joanne ex Baronibus de Cimberen Monasterii S. Georgii in Hercinia Sylvâ Abbate pro Monialibus Benedictinis, quod tertia vice fuliret an. ~~1299. die 30. Martii Sabbato Sancto~~ 1452. pridie Calendas Novembris, et an. 1499. die 30. Martii Sabbato Sancto ante Dominicam Paschæ conflagrârit, tamen semper restauratum fuit, nec non sub curâ et directione Abbatum San-Georgianorum apprimè floruit usque ad Lutheranismi tempora; tùm enim Abbate et Monachis San-Georgianis per Ducem Würtembergicum è suo Monasterio exactis, et ipsum negligi coepit, atque tandem ita in deterius abiit, ut, cùm Abbas San-Georgianus, ne alienis intentus res suas omninò pessum ire permitteret, juri visitationis ultrò se abdicasset, Fridericus Fürstenbergius tanquam fundi Dominus, ne loci memoria omninò deperiret, Presbyterum Sæcularem, qui ibidem divina peragaret, et Oeconomum, qui, quæ adhuc superabant, Monas-

terii bona curavit, constituit. Tandem ejus filius Henricus Fürstenbergius, cùm unica Monialis Anna nomine ab an. 1557. in Monasterio Superesset, nec Benedictina, quibus viduatum Coenobium redintegrare-tur, suppeterent, acitis è Luida valle [: Lister-Thal :] Monialibus Cisterciensibus hoc unanum Conis ad illud pertinentibus tradidit an. 1578. quod hodie-dum sub cura Abbatis Tennenbacensis floret.

10°. Hufinga [: Hüfingen, Hüffingen :] urbs parva cum duobus castellis, semimiliari ad Austrum à Danubii fontibus disita. Caput est amplissimæ Toparchiæ, in praest Toparcha sub se habens aliquot Consiliarios.

Præter hanc Toparchiam in Landgraviatu Fürstenbergio seu Baarensi tres ad hue amplæ Dynastiæ numerantur ejusdem cum Urbibus, in quibus Dynastæ residunt, nominis; Scilicet Mœhringensis, Blombergensis, et Löffingensis.

Mille ab Hufinga passibus versùs Occasum Brenalinga distat, urbs anteriores Austriæ exigua.

11°. Geisinga [: Geisingen, Geissingen :] Urbs angusta ad ripam Danubii posita tribus fermè miliariis versùs Orientem ab Hufingâ. ~~Geisingen Hufingen Tribus fermè miliariis versùs Orientem ab Hufingâ distat.~~

Non procul ab ea versùs Caurum Wartenbergense Castrum montanum visitur modò dictum; olim Illustrissimorum Landgraviorum Fridericii hujusque filii Henrici Sedes.

12°. Neidingum [: Neidingen :] Oppidum, in quo extat Sanctimonialium Ordinis Cisterciensis Coenobium ad Dextram Danubii ripam positum Duobus fermè miliariis ad Euronotum à Danubio-Euchingâ q. Monasterium hoc fundarunt Landgravii Fürstenbergii; in cujus Ecclesiâ iidem antiquam et ab aliquot jam Seculis sepulturam habent, ac ibidem inter alios Carolus Landgravius Fürstenbergio-Messkirchensis, in prælio, quod an. 1702. Germanos inter et Gallos initum est, interemtus tumulum habuit. Anno quoque 888. abdicatus Imperator Carolus Crassus hic vitam posuisse dicitur.

Cum Seculo XVI. omnes hujus Coenobii Moniales è vitâ decessissent, Henricus Landgravius Fürstenbergius an. 1584. ejusdem Ordinis Virgines, quas

q ad pedem Montis Principum [: Fürstenberg :]

q prope Huningam

Dux Palatinæ-Neoburgicus Lutheranismi Sectator acer-
rimus è Lavingans ipsarum Arcteris expulerat, in
illud introduxit.

13°. Fürstenberga seu Mons Principis |: Fürstenberg :|
urbs cum Castro in eminenti monte posita duobus mil-
liariis versùs Septentrionem à Scaphusiâ, ac olim,
ex more munienti veterum, egregiè munita. Castri
eque ac munimentorum rudera hodiedum adhuc ex-
tant. Wolfgangus Fürstembergius Aurei Velleris
Eques, Aulæ Cæsareæ Præfectus, ac postmodùm
Cæsareæ Majestatis et Imperii Supremus Belli Dux
Castrum hoc sub finem Sæculi XV. vel auxit vel
saltim restauravit. Hîs temporibus præter
Parochum Sacellani octo hîc numerabantur,
civium numero ultrà quingentos ascendente.

Urbs hæc olim ordinaria Landgraviorum Für-
stembergiorum Sedes fuit, atque ab ea cognominan-
tur.

14°. Stuhlinga |: Stühlingen :| Urbs exigua cum
arce ~~olim~~ Caput ejusdem Seuum nominis Landgravia-
tûs, sita in confiniis Cletgoviæ |: Klettgaü :| millia-
ri versùs Caurum à Scaphusia. Comitum Fürsten-
bergiorum fuit usque ad medium circiter Sæculi XIII.
tum enim post Conradum Comitem Fürstembergi-
um una cum Suo Tractu ad Comites Lupodunenses*
|: die Grafen von Lüpf :| devoluta est. Ubi an-
tem horum prosapia an. 1562. defecit, auctoritate
Maximiliani II. Imperatoris ad Conradum Comi-
tem Papenheimensem pervenit, qui sine herede
masculo decedens, eandem cum totâ illius ditione
Francisco Maximiliano ex filiâ suâ Rudolphi Für-
stenbergii Conjuge Nepoti testamento reliquit, cu-
jus Successores Seniores Landgravii Fürstenbergio-
Stuhlingenses dicti fuêre, ac postmodùm Primum
Imperii titulo et dignitate aucti sunt, et ad quos
tandem, extincta, quod jam supra memoravimus,
anno 1744. cum Principe Carolo Fürstembergio-
Meßkirchensi familiâ, universa Domûs Fürs-
tenbergiæ Dominia in persona Principis Josephi
Wilhelmi Ernesti devoluta sunt:

Stuhlingæ ab aliquot annis PP. Capucini ha-
bent Hospitium.

15°. Enga seu Engena |: Engen, olim Enga et Engi :|

* Comites Lupodunen-
ses, à Lupodunum |: Lüpf :|
veteri et jam devasta-
to Castro nomen habue-
runt, quod in Würtem-
bergensi Dynastiâ
Duttlingensi ad fontes
Altæ |: Alb :| exigui
fluvii, qui propè Dut-
lingam urbem Danu-
bio miscetur, Situm
erat. Olim Castrum
hoc etiam Speciali
Comitatui nomen
dedit. Hîc ejus meminit Ammianus Mar-
cellinus, ipsumque
ad Danubii Ninique
fontes collocat.

augusta Satis Hegovia* Urbs miliari et amplius versus Orientem à Fürstenberga seu Monte Principis distans. Jam Seculo IX. nota fuit, ac olim Comitum Hohenovensium à Castro Hohenhoven propè illam in monte positò sic dictorum fuit. Horum prosapia defecit in personâ Alberti Arbogastî Würtembergii Comitatûs Montispelicargensis Gubernatoris, qui an. 1570. diem Supremum obiit. Ab illo ad Comites Lupodunenses Stühlingæ Landgravios pervenit, quorum ultimus an. 1582. ad plures abiit, indéque Landgraviatus Stühlingensis unâ cum Castro Hohenhovensi et Urbe Engâ ad quamdam Comitum Capenheimensium familiam devolutus fuit, cujus ultimus Maximilianus, cùm hærede masculo careret, utrumque unà cum annexis, quod jam suprà memoravimus, Francisco Maximiliano Fürstenbergio per testamentum reliquit.

Engæ Moniales Ordinis S. Dominicii Cœnobium habent, quod an. 1333. feliciter auspicata sunt quatuor hujus Urbis puellæ, quæ propriis facultatibus in communi viventes brevi temporis spatio tàm numero personarum auctæ, quàm substantiâ rerum ac possessionum liberalitate consanguineorum et aliorum benefactorum adjutæ novum moliri cœperunt regulare Claustrum, quod simul ingressæ habitum et Ordinem S. Dominicii susceperunt. Anno 1640. sæviente bello Suecico occasione hostilis expugnationis vicini Castri Hohenoven Cœnobium istud unacum Urbe penitùs devastatum fuit, quod tamen pace publicâ patriæ redditâ sedulò restitutum fuit. Extrà muros PP. Capucini habent Monasterium, quod post quinque annorum Structuram an. 1628. die 20. Augusti Dedicatum fuit. In ipsa Urbe Princeps Fürstenbergius satis amplum habet palatium.

16° Uberlinga seu Überinga [: Überlingen seu Überlingam :] Vetus et libera Imperii Urbs in eminenti ripa ad Lacum Suevicum seu Constantiensem sita 4. Leucis Gallicis ad Eurum à Constantiâ, 3. ad Africum à Bragaduro [: Pfullendorff :] sub gr. long. 28. m. 50. lat. 47. m. 34. In tres Regiones distribuitur, in Superiorem scilicet, Infe-

* Hegovia, Hegoja, seu Hegoea: | Hegow, Hegau, et Hegow: | regio inter Danubium, Lacum Acronianum, et Rhenum sita, cujus longitudo et latitudo ad sex miliaria porrigitur. In ea plures Arces, Comitatus et Dominia continentur. Vini et frumenti fertilis est. Jam Seculo VIII. sub hoc nomine nota fuit, et in testamento Caroli Magni illius fit mentio. Olim Comites Lupodunenses in ea Ditiones et prædia habuerunt. Potiorem illius partem Landgraviatus Nellenburgensis continet.

riorem, et Gadimontem; hac ultima nomen accepit à Monialium ad S. Gallum Coenobio.

Peramoenus locus sita est, quippe qui undique fructiferis arboribus et vinetis cingitur, undè antiqui Suevia Duces loci jucunditate illecti saepiùs in ea Domo vari consueverunt. Ob profundam in Saxo excisam, qua cingitur, fossam valdè munitissima habetur. Ope Lacûs Constantiensis frequentem et praeclaris immunitatibus firmatam frumenti et fructuum negotiationem exercet. Tota Catholica est, quare castigandi sunt Scriptores, qui illius Cives partim Catholicos partim Lutheranos esse asserunt. Illius Ecclesia parochialis Gothicum opus ampla est et alta, neque non videri meretur.

Equites Melitenses in eâ propriam sui Ordinis mansionem seu Beneficium possident largis admodùm censibus, juribus, et proventibus ditatum. Hîc etiam FF. Conventuales Ordinis Minorum S. Francisci habent Monasterium circà an. 1300. fundatum ab Elisabetha de Königseck nata de Hohenfels vidua, in cujus Templo ad gradus Chori sepulta jacet. FF. Capucini quoque ab an. 1621. hîc adsunt, de quorum Domicilio mox plura.

Extat etiam ibidem Religiosarum Virginum contubernium illudque vetustissimum, quippe quod jam Septimo Ecclesiae Saeculo à Frideburga Cunzonis Alemannia Reguli Uberlingae tunc residentis filiâ fundatum dicitur. Post varias temporum ac rerum vicissitudines modò illud incolunt Virgines tertiae Regulae S. Francisci sub curâ et directione FF. Franciscanorum Conventualium.

Uberlinga Saeculo 30. annorum bello multis calamitatibus afflicta fuit, et quidem anno 1632. à Saxo-Wimarensibus copiis. Biennio post Sueci frustrà illam obsederunt: Solutâ obsidione Cives Capucinorum Monasterium, quod extrà muros positum erat, cùm illud tuendae adversis hostem ubi multùm obesse animadvertissent, illud à fundamento diruerunt, ac postmodum anno 1640. priori loco suo restituerunt.

Anno 1643. 19. Januarii Widerboldus Duellen-

Ris Castri [Hohentwiel] Præfectus illam stratagemate occupavit, ac diripuit; quam postmodùm Fœderati Protestantes Gallis tradiderunt; hi, quòd Capucinorum Cœnobium posset esse hostium receptaculum judicantes, illud an. 1643. iterùm solo æquârunt. Patres isti verò in ipsam Urbem translati fuerunt, ubi eisdem novum fuit exstructum Monasterium, cujus structura an. 1658. completa fuit. An. 1644. Bavari post quatuor mensium obsidionem illam iterum receperunt. Anno 1649. vi conventionis Ulmæ inter partes initæ Sueris tradita fuit arque ad pacem universalem ab ipsis possidenda, è qua idèm anno 1649. discesserunt. Anno 1703. 19. et 20.ma Maji Galli Suevicum Maximiliano Bavariæ Duci adversùs Cæsareos suppetias laturi, moventes huic Urbi, præter alias exactiones, magnam pecuniarum vim redemtionis incendii pretium imperârunt.

17° Salomonis Villa, Salem, Salemium, Salamanes Wylare [Salmansweilers, Salmonsweyl, et Salmansweilr] percelebre liberum et immediatum Imperii Monasterium Ordinis Cisterciensis Salamitanum vulgò dictum, ad Achan [Bres] rivum 2. milliariis versùs Orientem ab Uberlinga situm.

A quibusdam Alemanni villa nuncupatur, quamvis haud ita antiquum sit, ut Alemanni nomen redolere queat. Nomen idèm quidam derivant à magnifico et pretioso Salomonis Templo, quod ad idèm similitudinem conditum fuisse dicatur: et verò ante magnum illud incendium, quo an. 1697. totum in flammas et cineres abiit, speciosissimum pene omnium totius Germaniæ Cœnobiorum fuit. Postmodùm sub Abbate Stephano à fundamentis instauratum fuit ita, ut, sive magnificentiam sive amplitudinem spectes, nulli cedere videatur. Alii denique Monasterium hoc nomen accepisse volunt à Salomone pastore quodam, qui sibi primùm ibidem sacellum in Oratorium erexit.

Celebre hoc et opulentum Asceterium fundatum perhibetur Paulo XII. sub Innocentio Papâ II. et Imperatore Lothario II. à Lunthero Baronе de Adelsreutter, qui obiit anno 1138. postèa munificentissimè completatum à pluribus Im-

peratoribus, ut an. 1142. à Conrado III. An. 1188. à Friderico Anobardo, et Saulo XIII. ab Eberhardo, vel, ut alii volunt, Burckardo Salisburgensi Archiepiscopo, qui alter illius fundator, et præcipuus ditator fuit, ac ibidem humatus dicitur. Multa etiam olim in illud Comitas Montis fortis |: Montfort :| contulerunt.

Ante hac Comitas Fürstenbergio-Savomontani seu Heiligenbergenses huic Monasterio, quòd in illorum Comitatu Situm esset, ipsique in illius Tractu jurisdictionem criminalem et jus vitæ et reuis habe-rent, ultra Superioritatem territorialem litem moverunt, illud jurisdictioni suæ subjici contendentes. Verùm adversùs ipsos Monachi libertatem suam et Imperii immediatatem constanter tuiti sunt, ~~et [illegible]~~ ~~[illegible]~~ illius Monasterio [illegible]

Domus Austriaca in illud Advocatiam exercet Sed sub nomine Imperatoris, qui ejus Supremus est Advocatus.

18ᵒ Mons Sanctus Seu Heiligenberga |: Heiligenberg :| Castrum amplissimum in eminenti rupe collocatum milliari ad Aquilonem à Salemio. Nomen accepit à reliquiis SS. Martyrum Felicis, Emperantii, et Reguloe, quæ ætate Ludovici II. Imperatoris, qui ab an. 855. usque ad an. 875. rebus Imperii præfuit, in eo conditæ fuerunt. Amplii Comitatus Caput est, qui et ab eo Heiligenbergensis seu Savomontanus dicitur.

Jam antiquitùs Comitatus iste Speciales suos sub Comitum nomine habuit Dominos, quos Lazius ab Eginone germanici Heros Frenobardi |: Hanbardi :| et Wolfii |: Wolfradi :| fratris deduxit. Anno 724. Hego Comes Heiligenbergensis unus ex Alemannia Nobilibus, qui Majori Domûs Carolo Martello adversati sunt, fuisse dicitur. Ab an. 1413. Castrum hoc unacum ejus Tractu possederunt Comites de Werdenberg usque ad initium Saculi XVI. tunc enim ultimo è viris sublato ad Wilhelmum Fürstenbergium, et ipso in prole defuncto ad ejus fratrem Fridericum circà an. 1534. pervenit: tumque hæc Fürstenbergensis familia Savomontana seu Heiligenbergica nuncupata fuit, quæ an. 1716. in personâ Egonis Comitis Fürstenbergii regnon Electoratûs Saxoniæ Gubernatoris desiit, quod supra jam memoravimus.

Anno 1286. quidam Monachus Salemitanus Henricus Finck auxilio Bertholdi Comitis fundum liberaliter conferentis in hujus Montis Umbilico ad Angulum |: Zum Eck :| vulgò dictum exiguum Ordinis Cisterciensis domicilium exitavit, in quo antehac semper unus è Salemitanis Monachis habitare consuevit: modò nonnisi vetus quòdam Sacellum ibidem superest rei divinæ faciendæ antiquitùs unitatum. Ajunt isthic etiam loci superioribus seculis inclytum Tertii Ordinis Franciscanorum extitisse Cœnobium, quod tamen jam pridem, quorumque demum fato, penitùs abrogatum solam sui memoriam nobis reliquit. Anno 1643. Castrum hoc Galli, anno 1644. Bavari et an. 1647. Galli denuò occupavêre.

19°. Offendorfium |: Offendorf :| Urbs antiqua et Imperio immediatè subjecta, in solo fertili ad Cedam |: Cod :| rivum posita 2. milliariis versùs Aquilonem ab Heiligenbergâ. Ajunt eam veteribus Julionagum dictam fuisse. Quidamque autumant eam esse Stolomæi Bragodurum. Olim proprios suos Comites habuit, qui palatium suum eo loco habuerunt, ubi nunc patibulum extat. Anno 1132. illorum unus Angia Dirtis Abbas fuit. Ultimus nomine Rudolphus an. 1180. Imperatori Friderico I. Comitatum suum tradidit: ipsius filia et hæres equidem nupserat Adelberto III. Comiti Habspurgico, cui alimdè Imperator satisfecit. Tota Romano-Catholica est, ac in ida suo numerantur Sanctimonialium Monasteria unum Ordinis S. Dominici, alterum Tertia Regula S. Francisci.

20°. Meskirchium |: Mœskirch, Mœskirch :| Urbs enigua maenum Arae ad Eblacum |: Eblach :| fluvium sita milliari ad Caurum à Offendorfio. Sedes fuit Principum Fürstenbergio-Meskirchensium, quorum ultimus Carolus an. 1744. è vita improles excedens Principatum suum Familiæ Stühlingensi reliquit. Extrà muros Capucini Monasterium habent, quod fundârunt et propriis expensis construxerunt Germani fratres Fürstenbergii Franciscus Christophorus fundi Dominus, et Fosbruning Maria Metropolitanæ et Cathedralis Eccle-

siarum Colonienſis et Argentina Canonicus. Primus lapis positus est an. 1661. 4. Octobris, et an. 1688. 21 Septembris structura illius completa fuit.

21°. Trochtelfinga [: Trochtelfingen :] Urbs exigua cum Arce et Dynastiâ, Signarensem inter et Hechingensem Principatus Zollerenses sita 2. leucis gallicis ad Eurnotum ab Hechingâ. Portio est veteris Wendenbergensis Comitatûs.

22°. Nec hîc omittendum est Triefelheimense seu Rieserense [: Rivdrom :] Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Coenobium ad fauces Sylvæ Hercinîæ in ejusdem nominis Oppido seu Vico loco Satis amoeno situm tribus leucis gallicis versùs Orientem à celebri et principali S. Blasii Monasterio Benedictino, fundatum an. 1152. sub Imperatore Conrado III. et paulò ante ejus obitum à Marquardo à Weissenburg avitæ Nobilitatis viro, quod variis privilegiis Summi Pontifices et Imperatores auxerunt. Tandem an. 1520. postquam totum unacum Templo in favillas abiisset, necnon Andreas Cuerus seu Murer illius tum temporis Praepositus, quò illud restauraret, multa debita contraxisset, miseriarum Satur Praeposituram suam in manus Abbatis Crentzlingensis sui pro tempore Visitatoris resignavit, quo abeo tempore penes Abbates Crentzlingenses permansit, et an. 1638. pleno jure auctoritate Urbani Papæ VIII. Monasterio ipsorum adjecta fuit.

In eodem Vico adest quoque ejusdem Ordinis Sequioris Sexûs Monasterium an. 1350. à Conrado Riederensi Praeposito fundatum et erectum.

Sectio VIII.

De Comitatu seu Landgraviatu Sulzio, seu Cletgovia,

Episcopatu Constantiensi, Comitatibus Montfortensi, Königseckensi, Wolfeckensi et Cellensi.

Hîc juxtà horum Dominiorum et Ditionum positionem, quibus interjacet Austriaca Sueviæ Praefectura, gradum faciemus. Sit igitur

§. I.

De Cletgovia seu Landgraviatu Sulzio.

Cletgovia, Kleggovia, Pagus Litobrigius, et Eremus Helvetiorum [: Klettgau, Clotgau, et Klegau, p:] exigua

Suevica Legio Rhenum inter et Silvam Herciniam posita; 4. circiter milliaria in longitudine aquat ab urbe Schaphusia: Siliet usque ad Vutacam /: Wutach :/ fluvium, qui supra Waldshutum Rheno influit. Vini, frumenti, et ferarum dives est. Antiquitus eidem imperârunt Comites Habspurgici Stirpis Lauffenburgensis, at ubi Rudolphus Comes Sultzius, qui anno 1418. è vivis excessit, Joannis ~~Comitis~~ IV. Comitis Habspurgico-Lauffenburgensis filiam Ursulam nomine duxit uxorem, Legionem hanc per ipsam obtinuit quæ postmodùm Landgraviatus Sultzius /: die Landgrafschafft Sultz :/ vocata est. Post mortem Landgravii Joannis Ludovici sua prosapia ultimi, qua acciit an. 1687. Landgraviatus hic annuente Leopoldo Imperatore ad illius primogenitam filiam Mariam Annam, quæ Ferdinando Wilhelmo Eusebio Principi Schwartzenbergensi nupserat, et ab ipsâ ad Suos filios devolutus est. Notatur hîc

Tinga /: Schüngen, Tingen, Dingen, Engen :/ Vetus angusta unacum Arce ad Vutacam /: Wutach :/ fluvium posita, milliari ad Orientem à Waldshusta, Caput Landgraviatûs. In ea est Legimen cui præsidet Supremus Toparcha, ac in Arce sedem habet.

§. II.

De Episcopatu Constantiensi.

Episcopatus Constantiensis /: dab Bißthum Costnitz, seu Costantz et Constank :/ ab urbe Constantiâ sic dictus, ad quam Chilpebertus III. Austrasiæ Rex illum sub finem Sæculi VII. ~~ob~~ transtulit. ~~Maximus~~ Episcopus è Vindobonissâ /: Windisch :/ celebri olim Helvetiæ Civitate, quæ modò nonnisi Vicus exiguus est Cagi Bernensis, transtulit, quò Episcopus Vindelicia provinciæ, in qua tum jam multi fidem Christianam amplexi fuerant, vicinior esset. Postmodùm Episcopatus iste adeò crevit, ejusque jurisdictio Ecclesiastica eousque protensa fuit, ut omnium totius Germaniæ Episcopatuum habitus sit, quippe qui Sigismundi Imperatoris ætate 350. Monasteria, 1760. Parochias, et 17000. circiter Presbyteros complexus fuerit. Et quamvis Zwinglianismus multa loca eidem in Helvetiâ ademerit, tamen adhuc totius Germaniæ amplissimus existimatur, ac in 66. Decanatus distribuitur.

† ~~amplissimus~~ Maximus

Episcopi Constantiensis Dominium Sæculare satis

angustum est, quamquam cis et trans Lacum Acronianum in Sueviam Salliet et Helvetiam seu Turgoviam Helvetiæ provinciam extendatur. Inter alia minoris notæ loca in Suevia possidet Merspurgum, Markdorfium, Augiam Divitem, Ceningam, p. In Turgavia verò Arbonam, Episcopi cellam, Steckbornam, p. Intrà illius limites etiam alia comprehenduntur loca quæ nullatenus ab ipso pendent, ut sunt Constantia, Beati Domus, Meinovia, p. quæ nihilominùs unâ hic expendimus. Igitur notatur

jo. Constantia [: Costnitz, Costantz, seu Constantz :] satis ampla, pulchra, jucunda, et ritu antiquo munita, necnon olim libera Imperialis civitas in ipsis Helvetiæ confiniis inter Lacus Bodamicum et Celdensem in angulo ad Rhenum, ubi hic è Superiori Lacu effluens mox Inferiori immergitur, in amœnissima et fertili regione sita 12. miliariis communibus ad Aquilonem à Tiguro, 16. ad orientem à Basileâ sub gr. long. 31. m. 10. Lat. 47. m. 27.

À Constantio Chloro Constantini Magni Imperatoris patre condita dicitur et munita, ut Romanis propugnaculum esset adversùs Alemannos an. Salut. 229. et suo nomine Constantia dicta. Equidem ajunt aliqui jam ante Constantium hunc, et sub Severo Imperatore circà an. chr. 196. hîc loci in Rheno Castrum munitum stetisse à Turgavia Præfecto exstitatum et à Romanis Castellum aquarum vocatum: verùm id sine fundamento profertur. Nec minùs incertum est, num Constantia sit Antonini Vitodurum, aut Ptolomæi Gaunodurum. Vitodurum seu Vitudurum tamen eam dictam fuisse fidem facere videtur Inscriptio mutilata et marmori insculpta quæ in Ecclesia Cathedrali et in Sacello S. Blasii legitur his verbis:

Imp. Cæs. G. Aure. Val.
Diocletian. Aug. Pont. Max.
Sar. Max. Pers. Max. Trib. Pot.
XI. Imp. Cos. V. P. P. et
Imp. Cæs. M. Aur. Val. Maximilian.
Aug. Pont. Max. Sar.
Max. Pers. Max. Trib. Pot. X.

Imp. VIIII. Cos. IIII. CC. et Imp.
Nval. Constantius. et Gal.
Val. Maximianus.
Cos. Murum Vitudurensem
a Solo Restaur.
Cur. Aurelio Proculo. V.C.
Præs. in Helvetiis.

Quidam suspicantur illam initio Harudem sive Harudoplim à finitimo quodam Alemannica populo nuncupatam fuisse, quod aquè inertunest ac in Valeria seu Turgajorum Augusta vocata fuerit, antequam Constantia nomen adepta sit.

Sæculo V. sub Imperatoribus Valentiniano et Martiano Civitas hæc ab Alemannis devastata fuit, et postmodùm ab Attila Hunnorum Rege penitùs exusa; sic adeò defecit, ut Vicus duntaxat evaserit; ac ne restauraretur obstitit Clodovæi I. Francorum Regis decretum, quo devictis Alemannis vetuit, ne devastatæ Germaniæ Urbes denuò munirentur. Constantia ergo Vicus permansit usque ad tempora Childeberti III. Austrasiæ Regis, qui sub finem Sæculi VII. Sedem Episcopalem à Vindonissâ hùc transtulit. Ubi igitur Sedes hæc Constantiæ erecta fuit, tum ipsa Spectabilis fieri ac muris cingi cœpit, quamvis certum omninò haud sit, quando et à quo id factum sit: quidam ~~credunt~~ id sub Dagoberto II. Austrasiæ Rege Childeberti III. filio factum ajunt.

Anno 1511. Tumultus hìc excitatus est; Magistratus namque ad fœdus Helveticum aucdere, Cives verò, præsertim Piscatorum Tribus, prenes Imperium remanere vellebant, his Maximilianus I. Imperator patrocinatus est, tumultûs auctoribus muletatis. Cùm anno 1520. in vicinâ Helvetiâ famosus Zwinglius novæ suæ Religionis fundamenta jecisset, eandem quoque Constantienses magno Episcopi sui mœrore sensim adoptavêre, qua cùm anno 1526. apud ipsos omninò invaluisset, Cathedralis Ecclesia Canonici Civitate egredi compulsi sunt, quos anno sequenti alii Collegiatarum Ecclesiarum Canonici et Presbyteri omnes secuti sunt; et Episcopale Consistorium Rottolfi-Cellam Landgraviatûs Nellenburgensis urbem in extimâ Lacûs Acroniani, qui

hûc abipsa Laus Cellensis vocatur, parte seu linguâ positam translatum fuit. Monachi quoque omnes à suis Coenobiis ejecti in exilium amandati fuêre. Tum Civitas foederi Schamaldico anexit, quod cùm Carolus V. Imperator dissipasset, paulò post ipsam libertatem suam amisit, ac primùm ei injunctum, ut formulare Interim acceptaret, quod cùm facere remisset, Caesarei tentato in illam ex parte Laûs impetu à civibus strenuè se defendentibus repulsi fuêre. Deinde datis suorum quingentis unâ cum Duce suo Chiliarcha Alphonso Vivez Hispano. Inde ab Imperatore proscripta fuit, ac an. 1548. illam occupavit et fratri suo Ferdinando tradidit, tumque amissâ libertate suâ Domui Austriacae frustrà obnitentibus Imperii et Circuli Suevici Statibus hereditaria facta est. Ecclesiae Ecclesiastici omnes demùm revocati fuêre, illâque ad Catholica sacra reducta.

Constantia populosa est, et admodum opulenta satisque frequens exercet commercium. In ea etiam multi Nobiles familiae numerantur. Tres portas habet, eique Suburbium jungitur. Praeter Ecclesiam Cathedralem adsunt bina Collegiata videlicet ad S. Stephanum et ad S. Joannem. Bina Parochiales una S. Josephi altera S. Pauli. Aliquot Monasteria, ut Dominicanorum, quod velut in Insula positum Civitati ponte jungitur. In eo Sepultus jacet famosus Emanuel Chrysoloras, qui an. 1389. à Turcis è Graeciâ in Italiam pulsus à Joanne Palealogo Imperatore Constantinopolitano ad Anglia, Galliae Reges, aliosque Italiae et aliarum nationum Principes delegatus fuerat, ut auxilium adversùs Turcas Christiani nominis hostes infestissimos imploraret. PP. Minorum Conventualium Ordinis S. Francisci an. 1280. fundatum, in cujus Templi choro an. 1417. 26. Septembris Cardinalis Zabarella alias Florentinus dictus, qui Concilio hîc celebrato interfuerat, atque in ipso vitam posuerat, sepultus est. Eremitarum S. Augustini exortum an. 1284. an. 1418. Patres Concilii confinito ad hoc Monasterium se contulerunt, atque in ejus Templo gratias Deo retulerunt. PP. Capucini in Suburbio, eo loco, ubi Joannes Huss combustus fuit, Conventum habent. adsunt quoque bina Sanctimonialium Ordinis S. Dominici Coenobia, S. Petri videlicet, et S. Sophiae. Denique Jesuita splendidissimum habent

in eâ Collegium. Inter Sæcularia ædificia videri merentur Domus Mercatoria, in qua Concilium celebratum est; Basilica Civilis, et Granarium.

Constantiæ Ludus Equestris, vulgò Torneamentum, quod ordine testium fuit, et annis 1043. 1142. 1153. 1183. et 1507. Comitia Imperii acta fuêre. Aliquot etiam Concilia hîc celebrata memorantur, ut an. 1044. sub Imperatore Henrico III. in quo pax Germaniæ confirmata fuit. an. 1094. ab Episcopo Gebhardo tanquam Papæ Legato, in quo præcipuè de reformandâ Ecclesiæ disciplinâ actum est. at longè celeberrimum fuit illud, quod an. 1414. 16. Novembris sub Imperatore Sigismundo inchoatum et an. 1418. 12. aprilis finitum fuit; in quo tres de Papatu contendentes deposita fuerunt, novusque electus, qui Martinus V. appellari voluit. Joannis Wicleffi Presbyteri Angli memoria damnata, Joannes Huss, à quo Hussitæ Bohemiæ Hæretici dicti sunt, et Hieronymus de Praga professione Medicinæ ejusdem Wicleffi dogmata propugnantes vivi combusti fuerunt.

Anno 1633. à Septimâ Septembris usque ad quintam octobris à Suecico Bedidue Hornio Constantia in vanum fuit obsessa. ubi gallo an. 1677. Galli Friburgum Brisgojæ Urbem occupaverunt, Universitas inde huc translata est, quo post pacem Risvicensem demùm illuc rediit. In ultimo Successionis Austriacæ bello Galli pro Duce Bavariæ seu Imperatore Carolo VII. Joccupaverunt, sed ab Austriacis præsidiam spoliato ipsius Armamentario recesserunt.

2°. Oeninga, Oeningum |: Öningen :| Oppidum olim Cæsum ejusdem nominis Comitatûs, cujus Domini Comites Oeningenses nominati sunt, quorum prosapia circà an. 1430. desisse dicitur, semi milliario à Steinio antehac Hegovia Urbe nunc Ditionis Tigurinæ Situm loco amœnissimo in editâ valle et fertilissimo terrarum tractu ad Rhenum, ubi ex Inferiori Lacu Acronio effluit. Eidem jungitur Antiquissimum Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Collegium seu Præpositura fundata an. 965. à Chunone Comite Oeningensi. Celebre Collegium seu Monasterium hos proprios suos habuit Præpositos usque ad an. 1534. Tunc enim auctoritate et consensu cùm Pontificio tùm Cæsareo pleno jure subditum est, quod ajunt, incorpo-

ratum fuit mensa Episcopi Constantiensis in supplementum scilicet multorum redituum à Zwinglianis aliisque multifariam hinc inde Episcopatui subtractorum; ea tamen conditione, ut perpetuis futuris temporibus in eo essent et alerentur certo numero Regulares Canonici. ab eo tempore Episcopi Constantienses Ordinis Domini appellari voluerunt.

Quidam asserunt Monasterium istud primitùs Monachis Benedictinis traditum fuisse, quibus deindè circa annum 1100. successerint Canonici Regulares S. Augustini. Verùm illius fundationis Bulla an. 965. edita opinionem hanc falsi convincit, ut in qua nulla Monachorum Benedictinorum sed Canonicorum Regularium duntaxat fit mentio.

3° Augia Dives ~~(an Statlacio Augia)~~ |: Reichnau' seu Richnau :| celeberrimum olim et spectatissimum Ordinis S. Benedicti Monasterium circa an. 724. à S. Birminio* Meldensi in Galliâ Episcopo, qui an. 720. Suam Sindelai Germaniæ Præfecti à Gregorio Papa II. illuc missus ubique Evangelicæ doctrinæ semina sparsit multis ex Idololatriæ tenebris ad fidei lucem reductis, fundatum auxilio et subsidio Caroli Martelli Caroli Magni Avi, et abipso multis pinguibusque reditibus ditatum; in exigua sed amœna et fertili Insulâ intra ramum Lacûs Constantiensis seu Cadensis sitâ, cujus longitudo est unius milliaris latitudo autem dimidii.

Monasterium istud brevi tempore opibus adeò potens evasit, ut inter opulentissima totius Germaniæ Monasteria recensitum sit. undè factum, ut Augia Dives nunquam ceperit, cum prius à Sindelao seu Sintlao Germaniæ Præfecto, ~~augmentum habuerit~~, ~~Sindlesana seu Sintlesensis~~ |: Sindlebaw seu Sintlesbaw :| ~~Sindlesbaw~~ |: Sindlebaw seu Sintlesbaw :| ~~dixerunt~~ qui Insulam hanc S. Birminio excolendam et incolendam dederat, Sindlesana seu Sintlesana vel Sintlaus Augia |: Sindlebaw, Sintlesbaw :| vocaretur.

Abbas hujus Monasterii inter suos Clientes fiduciarios, seu, ut vocant, Vasallos 500. numerabat Nobiles, necnon annuatim 60000. aureorum reditus habuisse, et Romam petens singulis noctibus in suo proprio domicilio, quoad Romam attingeret, ultrà po-

* obiit S. Birminius Horrenbachii |: Horrenbach :| in Monasterio ibidem à se condito an. circiter 756. 3. Novemb. miraculis clarus. Horrenbachia autem urbs est et castrum in Ducatu Bipontino in confinibus Lotharingiæ, et non procul ab Urbe Bipontio. In ea igitur extitit Monasterium Benedictinum an. 740. à S. Birminio exstitutum antèquàm hujus urbis Dominus Wernherus, antehac Gammundum vocabatur. tempore Lutheri mutatum fuit in gymnasium, quod postea Bipontium translatum est.

tuisse dicitur. Eidem etiam tota Ulmensis Respublica subdita erat, prout supra, ubi nobis de Ulmâ sermo fuit, annotavimus.

Fuit etiam hoc Monasterium Schola eruditionis celeberrima. In illud primitùs nonnisi Principes, Comites, ac Barones assumi solebant, ut illic à primâ infantiâ usque ad adolescentiæ tempora educarentur et erudirentur. Equitum verò ac Civium liberi nullatenus admittebantur: erat igitur Principum duntaxat et sublimi stirpe natorum Schola et pædagogium.

Debet etiam hoc Cœnobium plurimis Germaniæ Cathedralibus Ecclesiis Episcopos, inprimis Constantiensi et Argentoratensi, præcipuè autem Ratisbonensi S. Wolfgangum. Universim treduum Archiepiscopi, et triginta Episcopi, præter alios, quorum nomina vel Sedes Episcopales ignorantur, ex eo assumti memorantur, et ex quibus permulti ad conversionem gentium ordinati fuerunt. Fuit præterea Schola virtutis celeberrima, necnon asylum publicum, Civitas refugii, et portus salutis maximorum Principum et Imperii Procerum, qui se se certatim ibidem Sanctissimis Divi Benedicti legibus devovebant, ex quibus plurimi egregiâ et admirabili vitæ sanctitate enituerunt.

At sub initium Sæculi XV. totâ Germaniâ percelebre Monasterium hoc deplorabili fatis quodam in opulentiâ aquè ac regulari observantiâ deficere cœpit, sempérque in deterius abiit; et quamvis post initium Sæculi XVI. Abbas Fridericus ex Baronibus de Wartenberg omnem, ut ajunt, lapidem moverit, quò illud antiquo splendori restitueret, post ejus mortem tamen omnia denuò susque deque versa sunt. Tum Joannes de Weza Episcopus Constantiensis hujus nominis VI. occasione ~~arrepta~~ anno Chr. 1536. arreptâ sub protextu, quòd ipsius proventus multarum et magnarum provinciarum, quæ novas et religioni Catholicæ contrarias opiniones adoptaverant, à suâ Dioecesi Sedeque, minimùm quantum imminuti fuissent, à Summo Pontifice et Imperatore facultatem obtinuit sibi suæque mensæ Monasterium hoc unàcum prædiis et redditibus suis adjiciendi, et, ut ajunt, incorporandi, eâ conditione et pacto, ut prior et antiquus ordo Monasticus à certo quodam Monachorum sub Priore Claustrali

numero, quibus victus et amictus, cæteráque ad vitam necessaria tribuerentur, perpetuis futuris temporibus ibidem inviolabiliter observaretur: ~~Hæc Legenda hujus adeò per totam Germaniam celebrati Benedictinorum Asceterii tandem sors fuit.~~

~~Eâ, qua vivimus ætate, Monachi, sub obtentu, quòd pacta in traditione Monasterii sui et illius prædecessorum Episcopo factâ utrinque inita, hactenùs minimè servata, verùm multoties violata et infracta fuissent, graviter hac de re apud Sedem Apostolicam conquesti sunt: lite etiam ad Imperatorem delatâ, tandem Monachi ubique causâ ceciderunt, datáque à Sanctâ Sede Episcopo facultas, illos se submittere renuentes alio deportandi, aliósque ejusdem Ordinis et Instituti Religiosos eisdem ibi substituendi; quod armatâ manu factum est. Monachi tamen nondum desistentes causam suam Ratisbonam ad Imperii Comitia detulerunt, ubi, dum hæc scribimus, adhuc pendet et ventilatur.~~ tandem

In hujus Monasterii Templo, quod S. Joannis dicitur, tumulus cernitur Imperatoris Caroli Crassi, qui postquam an. 887. propter suam imbecillitatem stupendâ revolutione, cujus in historiâ vix alium legitur exemplum, ab omnibus derelictus, et ad summam egestatem redactus, Neidingi seu Neydungi Landgraviatûs Fürstenbergii urbe ad Danubium sitâ 12. Januarii an. 888. vitam finivit moerore, vel, ut quidam suspicantur, veneno oppressus. Ejus corpus huc delatum sine ullâ solemnitate aut cæremoniâ terræ mandatum fuit. Paulo XIII. ipsius Sepulchrum reparatum fuit, eique sequens Epitaphium superpositum:

Carolus Crassus, Rex Sueviæ, Nepos
Caroli Magni, Italiam potenter intravit,
eámque devicit.
Imperium Romanum Cæsar coronatus

obtinuit; ac mortuo fratre Ludovico, universam Germaniam et Galliam jure hereditario acquisivit.

Demum animo, mente et corpore deficiens, ab Imperio, sanè magno cum fortunæ ludibrio, dejectus, à suis omnibus postpositus, humili loculo sepultus jacet.

Obiit anno Dom. DCCCLXXXVIII. Idib. Jan.

Hîc etiam asservatur ingens Smaragdus à Carolo Magno Monachis dono datus. Regulis ligneis inclusus est ac triangulum obtusum refert, cujus basis ultrà pedem, latera verò ad sesquipedem Geometricum protenduntur; ejus crassitudo est trium pollicum, et transversim fissus est; pondus illius est 28 librarum et trium quadrantium; ajuntque à gemmariis pro qualibet libra 50000. florenorum oblata fuisse. At quidam gemmarum periti dubitant, num lapis iste verus Smaragdus sit.

Contendunt Monachi S. Marci Evangelistæ corpus, quod Veneti possidere se tuentur, penes ipsos asservari; unde quoties in divinis Officiis Evangelium aliquod ex S. Marco decantant aut recitant non dicunt Evangelium secundùm Marcum sed secundùm istum digito monstrantes tumulum, in quo requiescere abipsis creditur. Ostendunt etiam inter alia binas hydrias, quas ex illis sex fuisse ajunt, in quibus Christus Dominus aquam in vinum in nuptiis, quæ in Cana galilææ celebratæ sunt, convertit.

Quidam memorant in hac Insulâ nullos esse serpentes, lacertos, et bufones, at si tale aliquod animal aliundè in eam affertur, illud statim interire; sed hoc falsum est, cùm multibi fortè tanta hujusmodi animalium copia reperiatur; ajunt tamen Serpentes etiam à pueris attractari, quin eis noceant. Ibidem olim Heruli Alemanniæ à Germanis culti Statua ærea fuit, quam Maximilianus I. Imperator an. 1511. Oenipontum transferri curavit.

4° Petri Domus seu Petershausium [: Petershausen seu Petrolingum :] Oppidum munitum, in quo jus præsidii Domui Austriacæ competit, in ma-

dis anguli quem Constantiensis et Cellensis Lacus efficiunt à regione Constantiæ ad Rheni ripam, qui hîc ponte jungitur situm, et velut urbis hujus Suburbium est.

Nomen habet à celebri et immediato Imperiali Monasterio Benedictino intra muros suos collocato, quod et ídi dominatur. Ajunt Monasterium hoc sic dictum fuisse à quodam nautâ, cui nomen Bertus fuit, ac ibidem domum suam habuit.

Fundatum et munificentissimè dotatum fuit an. chr. 980. à S. Gebhardo II. Episcopo Constantiensi è Comitibus Brigantinis pro Monachis Benedictinis è Cella Meginradi, nunc Principali Monasterio Einsidlensi huc acitis. Fundationem hanc confirmavit Joannes Papa XV. gregorius verò Papa V. Monasterium hoc in specialem Romanæ Sedis tutelam assumsit; necnon Imperatores sunesstrivè elegantibus prædiis et eximiis immunitatibus ac privilegiis auxerunt.

Anno Christi 1159. totum in cineres abiit, cùm jam priùs plura et gravia sæpiùs incommoda, devastationes, et fortunam plusquam inimicam, qua Henrici Sacromontani Comitis scelere direptum et expilatum miserè fuerat, passum esset. Illud tamen restituit Theoderius Comes Kyburgius Cœni Abbas, et Suffragante plurimùm Gebehardo Zaringio eò non multò post splendoris provectum est, ut inter præcipua Monasteria Benedictina emineret, et opibus non solùm, sed et viris pietate ac scientiâ celebribus abundaret. Usque octoginta Monachi in eo olim numerati fuerunt. Nec minùs hodiedum adhuc floret, quamvis non tantus sit in eo religiosorum numerus. Abbas illius sæ etiam Abbatem Monasterii S. Georgii, quod olim in Steinio [: Stein:] urbe nunc Ditionis Tigurinæ extitit, atque à Zwinglianismo extinctum est.

S.ti Meinoria [: Mainau seu Minore:] Insula in Lacu Arionis seminilliari ad Septentrionem à Constantiâ versùs Uberlingam posita. Illam occupat munitum Ordinis Equestris Teutonici Domicilium seu Beneficium. Antiquitùs sedes fuit Nobilis familiæ de Langenstein. Arnoldus de Langenstein suæ Stirpis ultimus, qui et hujus Ordinis membrum fuit, eidem suo Ordini circa an. 1282. annuente Alberto Augiæ Divitis Abbate, cujus hæc insula feudum fuit,

illam perpetuo proprietatis titulo possidendam spontaneâ oblatione tradidit.

6° Marispurgum sive Mespurgum |: Marpurg. | Morrdpurg: | Urbs et Sedes ordinaria Sive, ut ajunt, residentia Episcopi Constantiensis, ad Lacum Bodamicum loco eminenti et jucundo posita, 2. miliariis ad Caurum à Buchornia.

Ajunt eam à Rege ~~Gothorum~~ Galliæ Dagoberto exstitam fuisse, ac postmodùm ad Vetares Suevia et Alemannia Principes pervenisse; demum Comitas de Nardorff in ea Sedem habuisse; tandemque Episcopos Constantienses illâ potitos fuisse, ac in eâ Sedem suam fixisse. Solum habet fœcundissimum et vini præsertim ferax. In ea Moniales ordinis S. Dominici habent Cœnobium, quod antè ipsas Virgines Ordinis S. Augustini incoluerunt. An. 1647. Sueci Custrum huic Urbi impendens ac in altâ rupe positum, in quo residere solebat Episcopus, incenderunt.

7° Marchdorfium |: Marxdorf. | Urbs angusta miliari versùs Orientem à Marispurgo posita. PP. Capucini post pacem Westphalicam Ravenspurgo, ubi Conventum habebant, per cives Lutheranos et Suecos, qui tum ibi adhuc præsidium habebant, abacti ab Episcopo Constantiensi huc translati fuêre, eisque Ecclesiam tali jactu ab Urbe dissitam, et miraculosâ Deiparæ Virginis Divinum infantem inter ulnas tenentis Statuâ percelebrem ac continuo accolarum opem Supernam implorantium accursu frequentatam tradidit an. 1652. propè quam Monasterium ipsis exstatum fuit. Adest hîc etiam Conventus Tertiariarum Sororum Franciscanarum an. 1689. huc è Berckenio villâ Marchdorfio proximâ translatarum.

8° Episcopi Cella |: Bischofs-Zell :| Urbs pulchra Turgaviæ ad ripam Turæ |: Thur, Tzur :| fluminis ubi Sintrianus |: Sitter seu Zitter :| in illud influit sita medio itinere à Constantiâ ad S. Gallum 3. miliariis communibus ad Occidentem ab Arbonâ.

Nomen et ortum Suum Monasterio cuidam refert aucptum, quod circà an. 900. Salomon Episcopus Constantiensis ibidem fundavit, ad quod brevi post permulta familia loci opportunitate illecta se contulerunt ibique Sedem fixerunt, adeò ut jam circà

annum Chr. 940. Episopi Cella elegans fuerit Oppidum, ai Otto I. Imperator quasdam immunitates impetivit. Successu temporis Monachi objecto eundo Canonici solverunt Abbatiámque suam Ecclesiam Collegiatam fecerunt. Seculo X. Oppidum hoc muris cinctum fuit et Urbs factum. Episopo Constantiensi subjecta est, suprenam tamen in illam jurisdictionem Cagi Helvetiæ exercent. In ea Arx est, in qua Episopi Dynasta seu Præfectus residet, qui mediam illius redituum partem percipit. Cagi Helvetiæ, ut primùm dictum, qui Turgaviæ imperant, Supremum in ea habent Dominium, Suntque Judices, ubi quædam Episopum inter et Urbem oriuntur controversiæ.

Anno iiij. Ab Episopo eadem prædivitis viro Nobili oppignorata fuit, et post 100. annos iterum redempta. Cùm an. 1272. post mortem Bertholdi Abbatis S. Galli Conventuales ibidem circà novi Abbatis electionem haud convenire possent, idemque pars una Ulricum de Guttinga*, altera Henricum de Wartenberga** elegissent, tùm inter eos ~~omnis~~ armis decertatum est, qua occasione Guttingenses Episopi eadem diripuerunt, et incenderunt. An. 1405. et 1407. ab Abbatiscellensibus et Sangallensibus occupata fuit. An. 1419. in flammas abiit. An. 1529. mense Februario Catholici Protestantium Religionem hic suppresserunt. Episopi Cella magnorum virorum patria est, ut, inter alios, Theodori Bibliandri celebris inter Protestantes Theologi et Philosophi, Zwingeri, Joannis Jungi, Philippi Scherbii, et Melchioris Goldasti, ui Historia Helvetica multùm debet.

9° Arbona, Aeronium, et Arbor felix |: Arbon, et Arbon :| Urbs vetus Helvetiæ, tribus fermè milliariis ad orientem ab Episopi cella distans. Ibius vetus nomen Arbor felix in Itinerario Antonini legitur. Ammianus Marcellinus ait Romanos perpetuo hic suorum militum castra habuisse, et Gratianum Imperatorem, ubi è Gallia in Illyricum profectus est, digressum per Castra fuisse, quibus Felicis Arboris nomen est. In Notitiis Imperii legitur Arborem fuisse Stationem Præfecti

* guttinga |: Guttingen :| Arx et Bagus in Turgaviâ ad Lacum Aeronium, cujus nomen olim quædam Aeronum familia gessit, quæ extinctâ ad Episopum Constantiensem pervenit.

** Wartenberga |: Warthenberg :| Castrum domus natalis ejusdem nominis Comitum in Argoviâ Helvetiæ provinciâ et confiniis Sueviæ.

Herculiana Pannoniorum Cohortis. Verisimile est Urbem hanc sub Francorum Regibus celebrem fuisse, ut quæ Metropolis fuit regionis illius, quæ veteris Turgovia pars fuit, in hac Arbonensi regione etiam excitatum fuit Celebre S. Galli Cœnobium, qui an. Chr. 627. vel 650. aut juxtà Annales Benedictinos an. 666. Arbona vitam posuit, prout in ejus vitâ, circà Seculum IX. conscriptâ legitur.

Arbona Dominis paruit, qui primùm Comites, deinde Barones dicti sunt, extinctâ sub finem Sæculi XIII. illorum prosapiâ Episcopi Constantienses eâ potiti sunt. Habet vetus Castrum à Romanis excitatum, in quo Episcopi Satrapa seu Præfectus residet. In eo etiam S. Gallus diem Supremum obiit.

Equidem Episcopus Constantiensis hîc Sæculari jurisdictione gaudet; Supremum tamen hujus Urbis Dominium Pagi Helvetici sibi arrogant, in eâque jus præsidii habent.

Ipsa amplis fruitur privilegiis et immunitatibus, nec non fœdere juncta est decem Pagis illis, qui Turgaviæ imperant; et ubi à Præfecto Episcopali Malefícus capitur, Magistratus earum illius instruit, fertque sententiam, et capitis pœnam; cum illam meretur, in illum decernit.

Binæ Religiones Catholica videlicet et Zwingliana liberè in ea exercentur. Equidem an. 1698. Episcopus Constantiensis Zwinglianos premere tentavit, at Pagi Protestantes se se eidem opposuerunt, ac an. 1600. transactione constitutum fuit, ut Protestantes æquè ac Catholici ad munia publica admitterentur, illique Urbis Tuleriam soli quidem haberent, his verò Episcopus sumtibus suis extra muros propriam exstruxit.

Anno 1656. Tigurini Urbem hanc occupaverunt, in qua magnam annonæ copiam adepti sunt, nec non præsidio ab ipsis munita fuit. Arbona à rovaulis et Salpetris, quæ in ea confiniuntur, celebris est.

10° Münsterlingen |: Münsterlingen :| antiquissimum Virginum Ordinis S. Benedicti Monasterium in Turgaviâ ad ripam Lacûs Acronii situm duabus circiter Leucis gallicis ad Eurum notum à Constantiâ. Fundatum dicitur circà an. Chr. 970. ab Angelâ Anglia Regum sanguine oriundâ. Quidam tà-

men illud pro Sanctimonialibus Ordinis S. Augustini, quibus primùm an. 1555. Benedictina suffecta fuerint, à Gebardo tertio post S. Conradum Constantiensi Episcopo, qui, postquam per 16. annos Episcopatum administrasset, an. 995. è vivis excessit, fundatum fuisse memorant.

Hodiedum adhuc claret sub tutela illorum Helvetiæ Pagorum, qui Turgaviæ dominantur.

III. Creutzlinga seu Monasterium Creutzlingense [: Creutzlingam :] Liberum et immediatum olim Imperiale Monasterium Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini in Turgavia Helvetiæ provinciâ ad Lacum Acronium, leucâ gallicâ circiter ad Euronotum à Constantiâ positum, non tàm gratissimo sitûs suo jucundissimum, quàm amplissimis reditibus uberrimum, et novis suis structuris splendidissimum.

Ejus initium et origo antiqua est, ac proinde incerta. Opinantur aliqui S. Conradum Ducis Henrici I. de Stirpe Guelphorum filium, qui an. Chr. 934. Episcopus Constantiensis factus est, et an. 974. 26. Decemb. vitam posuit, extrà Constantiam Nosocomium Crendelinam seu Creutzlingam dictum, simulque, quod olim et antiquis temporibus frequens fuit, bina Coenobia unum pro Canonicis Regularibus S. Augustini, alterum pro ejusdem Ordinis Monialibus, qui in illo Nosocomio utrumque sexûs infirmis inservirent, et necessaria subministrarent q quod, cùm bellorum et Superiorum malè domesticantium injuriâ unum sibi adjunctis duobus Coenobiis penè collapsum fuisset, S. Gebardus Uzonis sive Huozonis Rhetiæ Comitis filius et S. Conradi post Gaminolphum in Episcopatu Constantiensi Successor unum Virginum Coenobio Münsterlingam transtulit ac recens excitavit. Demum Sæculo XII. et circa an. 1125. Udalricus ex Comitibus Kyburgensibus et Dillingensibus Constantiensis Antistes hujus nominis III, Eorum, in quo S. Conradi Nosocomium et Monasteria extiterunt innovare cupiens, ibidem pro iisdem Canonicis Regularibus Ordinis S. Augustini Coenobium denuò excitavit, illudque veteri suo nomine Creutzlingam vocari voluit, ac amplissimis ex patrimo- q exuisse;

nio suo prædiis et reditibus dotavit, adeò, ut tanquam primus illius fundator celebretur. Illud Honorius Papa III. non modò, sed et Henricus V. Imperator solemni Diplomate Argentorati 9. Idus Jan. 1125. edito confirmârunt.

An. 1449. Foederati Sueviæ et Austriaci adversùs Helvetios belligerantes Monasterium hoc incenderunt, quod postèa magnis sumtibus restauratum fuit. Ubi Constantia novum Zwinglii Evangelium amplexa est, tùm an. 1529. Religiosi Cruzlingenses relicto suo Monasterio in Sueviam se receperunt, quò vi pacis publicæ an. 1531. regressi sunt. An. 1633. dum Sueci Constantiam obsidebant, Monasterium istud unanum Ecclesiâ suâ demò in cineres redactum fuit, ac inter voraces flammas magna Crucifixi effigies omninò incolumis prostitit, quam hodiedum adhuc in medio altari collocatam est conspicere.

Cruzlinga antehac inter Liberos et Immediatos Imperii Status publicos recensita fuit; at ubi an. 1638. Turgaviæ Landgraviatus ad Cæsos Helvetica pervenit, tum è solo Sueviæ in fundum Helvetiæ translata, ac ipsorum tutelæ tradita est, hisque ab Imperio recessit.

12° Theophilia I: Gottlieben: | Oppidum in Helvetiâ ad ripam Lacus Constantiensis seu Bodamici situm milliari ad Caurum à Constantiâ. In eo elegans est Castrum in quo Joannes Huss jussu Concilii an. 1415. primùm inclusus fuit, inde in Augiam Divitem translatus, tandémque Constantiam reductus ibidem sententiâ Concilii vivus crematus est.

Oppidum hoc unanum Castro suo anno 934. Conradus Episcopus Constantiensis à Curiâ suâ in Terram Sanctam peregrinatione redux exstruxisse dicitur. Quidam tamen volunt Castrum primùm an. 1257. ab Eberhardo de Waldpurg Constantiensi Episcopo constructum ~~fuisse~~ Lacumque seu Rhenum ibidem binis pontibus junctum ~~fecisse~~, atque in detrimentum Civitatis Constantiensis vectigal erectum fuisse, quos tamen, cùm res ad vota non caderet, ipse destruxit. Anno 1355. 1. Aprilis Conradus ab Homburg Castrum hoc incendit; et in bello Suevico an. 1499. Hugo Episcopus Constantiensis contrà datam Helvetiis fidem, iidem-

Foederatis Suevis tradidit. In eo residet Episcopi Praefectus. Incola Zwinglianismum profitentur.

13°. Ermatingum |: Ermatingen :| Vicus ad Lacum Bodamicum semi milliari à Theophilâ positus. Illum Carolus Martellus Regis Francia Major Domûs an. 725. Monasterio Augiæ Divitis tradidit, et Episcopus Constantiensis tanquam ejusdem Monasterii Abbas inferiorem, seu ut vocant, bassam habet jurisdictionem, altâ penes Helvetios Turgaviæ Dominos subsistente. Hîc an. 1499. 18. Aprilis pugnatum fuit inter Suevia Foederatos et Helvetios, ubi hi Foederatis suorum 73. dentanat fusi fuerunt, Victique in flammas abiit: at brevi post per totam Turgaviam sonatis æribus martiis 1500. Helvetii convenere, ac in loco, qui vernaculè Pfyswadro = Lorfmunster patur, tanto impetu in Suevos, quorum 9000. erant, irruerunt, ut amissis suorum 1500. fugam capessere coacti sint. in eo

14°. Steckborn |: Steckborn :| Urbs Turgaviæ Constantiam inter et Stenium, ad ripam Lacûs Constantiensis Leucâ gallicâ ad Euronotum à Stenio posita. Spectales suos olim habuit Dominos, qui ab ipsa nomen gestârunt; ab iis ad Kyburgensem familiam, post ad Domum Austriacam seu Habspurgicam, denique ad Monasterium Augiæ Divitis pervenit. Modò Episcopus Constantiensis tanquam ejusdem Monasterii Abbas ibi dominatur, altâ jurisdictione penes Helvetios Turgaviæ Dominos remanente.

§. III.

De Comitatu Montfortensi.

Comitatus Montfortensis |: die Grafschaft Montfort :| Nomen habet à Castro, cui Montfortis nomen, sito in Comitatu Brigantino Milliari ab Arbore |: Arbon :| Oppido in Rhenana Valle |: Rheintal :| ubi et Comitatus ité jacet, quem Comites Montfortenses an. 1375. Domui Austriacæ cesserunt, ejusque loco bina Dominia Tetnangense videlicet et Langenargense in Austriacâ Provinciali Suevia Præfecturâ, et ad Lacum Bodamicum sita recepere, ac modò Comitatûs Montfortensis nomine veniunt; De quo hîc nobis sermo.

Igitur hodiernus Comitatus Montfortensis, ad Orientem, Aquilonem et Occidnum Austriacâ Suevia Præfecturâ, ad Austrum Lacu Acronio clauditur. Ejus longitudo ab Austro ad Septentrionem est trium

milliarium, Latitudo ab Occidente ad Orientem duorum. In illo oritur

1°. Tetranga |: Tetnang, Tetnangen, et Tetnang :| Urbs angusta duabus leucis gallicis ad Orientem à Buchornia. Elegans in ea fuit Castellum, quod in 30. annorum bello in flammas abiit: equidem restauratum fuit sed non juxtà priorem suum splendorem.

2°. Langenarga |: Langnargen :| Oppidum cum Arce ad Argum |: Argen :| fluvium, qui ibidem Lacui Acronio immergitur, duabus leucis gallicis ad Euronotum à Buchornia situm. Ei imminet Speciosum Castrum seu Palatium ordinaria Comitum Sedes in Lacûs Insulâ positum, quod pons continenti jungit.

§. IV.

De Comitatu Koenigseccano Rotenfelsiensi.

Comitatus Koenigseccensis |: die Grafschaft Königsegg-Königsbach :| in Algovia situs est, ac quemadmodum bifariam dividitur ac separatim jacet, ita et à binis ejusdem secum nominis Stipibus possidetur.

Barsuna inter Landgraviatum Fürstenbergium, et Comitatum Waldburgensem, non procul ab Uberlinga ad Schussam fluvium sita est, et Comitatus Koenigsecco-Aulendorffensis vocatur. Pars altera Sub Alpibus et in finibus Silvæ Brigantinæ, non procul à Campidono ad Ilarum seu Ilbonum aut Hilarum |: Ilz :| fluvium posita est, ac Comitatus Koenigsecco-Rotenfelsiensis nuncupatur. De Hoc nobis nunc est Sermo.

Longitudo hujus Comitatûs ad 4. milliaria cum dimidio, Latitudo ad tria fermè porrigitur. à Septentrione Comitatu Zeilensi, ad Orientem et Austrum Episcopatu Augustano, et ad Occidentem Comitatu Brigantino clauditur. Notatur hîc

1°. Rotenfelsia seu Rubea Rupes |: Rotenfels :| Castrum in monte excelso seu Saxo positum 1500. passibus ab Imestadio, domus natalis Comitum, et à quo nominantur.

2°. Imestadium |: Imenstadt seu Imanstadt, et Immenstadt :| Urbs cum eleganti Castello ad Ilarum seu Ilaram |: Ilz :| fluvium non procul à Rotenfelsia 4. leucis gallicis ad Austrum à Campidono posita,

Sedes Comitum. Solum habet frumenti ferracissimum, adsunt etiam Vineta.

§. V.

De Comitatu Koenigsecco-Aulendorffensi.

Comitatus Koenigsecco-Aulendorffensis |: Die Grafschafft Königseck-Aulendorff :| limites habet ad Aquilonem Dominia Gundelfingense et Altshusianum, ad Orientem Comitatum Waldburgo-Wolffeccensem, ad Meridiem Austriacam Sueviæ Præfecturam, et ad Occidentem Langraviatum Fürstenbergicum. Ejus longitudo est quatuor circiter milliarium, latitudo duorum. Notatur hîc

1°. Koenigsecum Castrum montanum ad Ablaum |: Ablauf :| duabus leucis gallicis ab Altshusio Situm. Excitatum fuit an. chr. 650. à Cunone Comite, ac ab ipsius nomine Cunonis Castrum |: Cünonds-Eck :| vocatum; ex quo subinde per litterarum abusum Königseck, id est, Regis Castrum, et germanico-latinè Koenigsecum factum est. Est Domus natalis ambarum Koenigseccensium prosapiarum, atque ejus nomine vocantur.

2°. Aulendorffium |: Aulendorff :| Urbs cum Castello ad Schussam |: Schüss :| flumen duabus leucis gallicis ad Orientem ab Altshusio, Sedes ordinaria Comitis Koenigsecco-Aulendorffensis.

§. VI.

De Comitatu Waldburgensi.

Comitatus Waldburgensis |: Die Grafschafft Waldburg seu Waldburg :| varia complectitur Dominia, præcipuè autem dividitur in Superiorem et Inferiorem: Inferior Situs est ad Danubium, atque ad Occidentem, Austrum, et Orientem à Landgraviatu Fürstenbergico, et ad Aquilonem Danubio clauditur.

Superior verò ad Ilcam |: Ilar :| fluvium q limites- q Situs est,
que habet ad Orientem Principatum Campidonense et Dominium Reckenbergense, ad Austrum Comitatum Koenigsecco-Rotenfelsiensem, ad Occidentem Austriacam Sueviæ Præfecturam, et ad Septentrionem Territorium Biberacense et quædam alia Algoviæ loca. Continet hîna Dominia Wolffeccense subtus et Zeilense, quibus amborum Comitum familiæ Speciatim imperant,

quàrum una Wolffaccensis, altera verò Zeilensis vocantur, quemadmodùm ea, quæ Superiorem Comitatum possidet speciali nomine Scherensis dicitur. Addunt aliqui Trauchburgensem familiam à cæteris distinctam.

Comites isti S.R.I. Dapiferi sunt sive, ut ajunt, Truchsessii, quod munus extinctâ Seldeneccensi prosapiâ ab Electore Palatino obtinuerunt; idius primam functionem in Comitiis Ratisbonensibus an. 1594. obiit Christophorus Comes Waldpurgo-Scherensis. Equidem jam pridem antèà Dapiferi sive Truchsessii appellati fuerunt, at id illorum munus ultrò Sueviam latè extendebatur.

Comites hi à Waldburgo |: Waldburgo :| dicti, Castro Silvano nomen habent, quod non procul à Ravensburgo situm est in monte. In Inferiori Comitatu occurrit.

1°. Schera |: Scheer sive Scheere :| urbs exigua cum arce, milliari et paulò amplius ad Orientem à Sigmaringâ in confiniis Hohenzollerensis Comitatûs seu Principatûs posita. Caput est ditionis ejusdem cum nomine. Idam Eberhardus Comes Sonnenbergensis et Waldburgensis an. 1463. ab Imperatore Friderico III. seu IV. emit, in qua postmodùm ipsius filius, an. videlicet 1486. Arcem, quæ adhuc superest, excitavit, quæ modò sedes est unius familiæ Comitum Waldburgensium Truchsessiorum, quæ Scherensis vocatur.

~~In Superiore Comitatu ad Wolffeccensem familiam pertinentia loca~~

2°. Friedberga |: Friedberg :| Arx cum ditione miliari ad occidentem à Buchovio. Eam idem Comes Eberhardus an. 1463. ab eodem Imperatore Friderico Austriaco emit.

In Superiore Comitatu ad Wolffeccensem familiam præter alia loca pertinent

1°. Wolffeccum |: Wolfegg, Wolfeck, Wolfegg, et Wolfeck :| Castorum duabus leucis Gallicis versùs Austrum à Waldsea. Sedes et domus natalis familiæ Wolffeccensis, et à qua nominatur.

2°. Waldsea seu Waldsehum |: Waldsee, Waldsee :| Urbs angusta cum Castello duabus leucis gallicis

cis à Wolfeco ad Schaffam |: Schuff :| fluvium posita.

In eâ est Coenobium Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini ab Imperatore Friderico I. Arnhardo fundatum an. 1191. In illius Ecclesiâ Comites Waldburgenses Sepulturam habent. Adest etiam PP. Minorum Ordinis S. Francisci Recollectorum Monasterium an. 1649. exstructum. Moniales quoque Tertiaria Ordinis ejusdem S. Francisci hîc Conventum possident, cui tres sorores Beginae initium dedêre, quarum posterae Tertiam Ordinis S. Francisci Regulam amplexae sunt. Anno 1634. 10. Januarii Suevi urbem hanc occupavêrunt; et an. 1646. Turrenius Galliae exercitûs Dux hîc castra metatus est.

Ad Zeilensem familiam praeter alia loca spectant

1º Zylenum seu Zeilum |: Zeil :| Oppidum ad Aitraeum |: Aitrach seu Eitrach :| fluvium milliari versùs Austrum à Wurzachio positum. Antiquitùs caput Comitatûs fuit, cujus cum Domini saeculo XIIII. defecissent, ipse ab Imperatore Ludovico Bavaro Joanni Truchsessio de Waldburg oppignoratus fuit, ac deinde à Carolo V. Imperatore ipsius prosapia in foedus Masculinum traditus fuit est. Ab hoc Oppido quodam, quod jam annotavimus, Comitum Waldburgensium familia nomen habet.

2º Wurzachium |: Wurtzach :| Urbs parva sed elegans ad Aitraeum fluvium posita milliari ad Caurum à Zyleno. Illam Joannes Truchsessius de Waldburg, qui Sueviae Praefectus fuit, Sancto XIV. Domui hae adjunxit. In ea Castrum est Comitum Sedes.

3º Trauchburgum |: Traufsburg, Dorfsburg, et Traufsberg :| Arx et Ditio milliari ad Eurum ab Isnâ. In ea quondam Comitum Waldburgensium Stirps residet, et ab ea nomen trahit.

4º adimus hîc ~~Leutchirchum~~ Leskirchum, Leutkircham, et olim Ectodurum |: Löwbirsf, Leutbirsf, Lutbirsf, p :| Urbs ~~exigua~~ est exigua Imperialis et Libera intra fines Comitatûs Zylenensis et Principatûs Campidonensis in amoeno et salubri tractu frumenti, pomorum, Silvarum, et piscosorum lacuum dives, ad Erchacium |: Erfsach :| flumen sita 3. milliaribus et semi versùs Occidentem à Campidonâ.

Leubam abitrantur idam civi eubam Romano, cui nomen Vilpratus fuit, initia sua debere, ut qui in monte vicino Castrum habuerit: at verisimilior est illorum opinio, qui censent idam ortum sumum et nomen ab antiquissimâ Ecclesiâ suâ: Non ipsum Altorfium dico:| accepisse, quæ omnium circumjacentium populorum parochialis fuit. Equidem vetus hæc Ecclesia haud amplius extat, sed ejus loco anno 1519. alia exstructa fuit, cujus navis 125. longa et 78. pedes lata est, chorus verò pedes 55. longus, et 32. latus est. SS. Trinitatis dicitur, ejusque patronus est S. Martinus. Per tres portas ad eam patet aditus. Cives partim Lutherani partim Catholici sunt; hi eam, quam modò diximus, Ecclesiam possident: Lutherani aliam habent an. 1615. ab ipsis edificatam, cujus longitudo est 121. latitudo 75. pedum.

Adest etiam Monialium Ordinis Tertiariarum S. Francisci Monasterium, quod primitùs Beguina inoluerunt, quibus Moniales Ordinis Eremitarum S. Augustini successerunt. His adimam omnibus saevissimâ hac epidemiâ per totum Leutkirchensem agrum horribiliter grassante sublatis Patres Augustiniani Memmingenses supellectilem omnem et quæque alia utensilia, quæ Sorores emortuæ reliquerant, sui juris fecerunt, vacuâ habitatione Magistratui relictâ. Tandem post plures annos et circà an. 1670. Cives accitis è Parthenone Memmingensi Tertii Ordinis S. Francisci Monialibus Coenobium hoc tradiderunt inolendum, quæ adhuc ibidem subsistunt.

Leutkircha varia eáque eximia à variis Imperatoribus obtinuit privilegia. Anno 1632. et 1646. à Sueris expilata fuit. anno 1637. 700. animæ hâc peste interierunt.

Sectio IX.

De Principatu Campidonensi, Dominio Mindelheimensi, Comitatu Fuggerano, Principatu Hohenzollerensi, &c.

Ordo Sueviæ provinciarum postulat, ut modò et antequam ad eas, quas Domus Austriaca in Sueviâ possidet, progrediamur, reliquas Algoviæ regiones et ora Imperio immediatè subjecta expendamus. Quod singulis §§. conficiemus.

§. I.

De Principatu Campidonensi.

Principatus Campidonensis |: das Fürstenthum Kempten:| limites habet ad Austrum et Orientem

Episcopatum Augustanum; ad Septentrionem Dominium seu Principatum Mindelheimensem et Territorium Memmingense; ad Occidentem denique Comitatum Kyleneusem seu Zeilensem. Ejus longitudo ab Occidente in Orientem est Sex circiter milliarium, et latitudo ab Austro ad Aquilonem ferè totidem. Notatur hic

j°. Abbatia seu Principale Monasterium Campidonense Ord. S. Benedicti, exstitutum dicitur et dotatum ab Hildegarde Suevia Duce Hildebrandi filiâ et Caroli Magni Imperatoris conjuge tertiâ ex propriis hereditariis bonis suis; ejusque fundamenta jacta an. 773. primum lapidem ponente Rolando Caroli Magni ex Sorore Berthâ nepote omnium Granigenarum fortissimo, Deque olim Scriptores aliqui mira fabulati sunt, præsentibus multis Principibus ac Nobilibus, et an. 777. 11. Maji Dominica Ascensioni Sacrâ ab Hadriano I. Pontifice Maximo, qui tunc in Germaniam venerat, primus illius Abbas constitutus Andegarius seu Amelgarius, quem dicti Rolandi filium fuisse dicunt; prout exstitur ex Diplomate Caroli M. hac de re sub idem tempus emanato. Verùm sunt, qui Diploma istud falsi postulant, quod Stylum hujus Imperatoris ætate vitatum minimè redoleat, contendúntque illius fundatorem et primum Abbatem fuisse Theodorum, qui ætate Pipini Francia Regis circà an. 750. superfuit. Concedunt equidem Hildegardem Caroli Magni conjugem multa bona et prædia, imò fortè integram suam Dotem maternam eidem Monasterio contulisse.

In hoc Monasterium soli Nobiles admittuntur, et Henricus à Mittelberg illius Abbas XLVI. an. 1356. electus ab Imperatore Carolo IV. an. 1360. S.R.I. Princeps creatus fuit. Capitulum viginti Nobiles Monachi constituunt. Ab omni jurisdictione Episcopi Constantiensis, in cujus Diœcesi situm est, q promunq immune tiavit Hadrianus Papa I. ad instantiam Abbatis Andegarii*, cui etiam plenam potestatem concessit ante meridiem sua faciendi, post meridiem verò gladio utendi ad exercenda jura forensia, ad tuendos bonos, et à medio tollendos malos. Unde paræmia ipsi cum Herbipolensi Episcopo communis:

Campidona sola judicat ense, Stolâ.

* Quidam volunt hanc immunitatem primùm sub initium Sæculi XVI. Joannem Rudolphum à Rietheim, qui LII. Campidonensis Abbas fuit, circa à 10. Nov. usque ad anni 1483.

usque ad 15. Octob. anni 1507. quo vitæ periodum clausit, à Julio Papa II. obtinuisse.

Abbas Campidonensis est etiam unus è quatuor illis Prælatis, quibus inter Germaniæ Proceres prima sedes competunt; quique in confessibus publicis ac pompis maximè honorificantur, primòque habet Statim post Tridentinum Abbatem; et ante Præpositum Ellwacensem, Abbatem Murbacensem, &c. Est quoque Supremus Imperatricis Aulæ Præfectus, seu, ut vocant, Archi-Marschalcus, hoc quæ suo numine in illius coronatione fungi consuevit.

Principalis hujus Monasterii Tutores et Advocati sunt Dux Bavariæ tanquam Aulæ Præfectus seu Marschalcus, Dux Saxoniæ tanquam Pincerna, Comes Montfortius tanquam Dapifer, et Comes Nellenburgius tanquam Cubicularius seu, ut ajunt, Camerarius*; quæ munera illorum loco obeunt, pro Duce Bavariæ Barones de Roth, pro Duce Saxoniæ Rennerii ab Almendinga, pro Comite Montfortio Nobiles de Brarberg; et postquam Landgraviatus Nellenburgius ad Domum Austriacam devolutus fuit, Nellenburgiis Comitibus succedunt Nobiles de Wendenstein.

* ab aliquibus tanquam Dapifer Comes Montfortius statuitur tanquam Marschalcus, et Dux Bavariæ tanquam Dapifer.

Circà an. chr. 920. sub Imperatore Henrico Aucupe Sava Hungarorum gens finibus suis egressa per omne Noricum, Vindelicíam, et Boicam ferro flammáque grassata fœdis populationibus et rapinis omnia implevit, Savaque profanis et profana sacris permiscent: Cœnobia Adelque Savas non paucas, cùm Virorum sanctorum tùm Savarum Virginum alias fœdè vastavit, alias funditùs evertit: in quam sortem et hoc Campidonense Asceterium venit, quod etiam tribus distinctis vicibus igne ferróque vastatum est adeo miserè, ut Monachis hinc indè dispersis Cœnobium nonnisi latrocinantium undequaque Hunnorum latibulum fuerit: donec tandem Conradus Sueviæ Dux lacrymabili tam illustris loci Statu, et præcipuè duorum Cœnobitarum Amandi et Felicis querelosis vocibus commotus, ope præsertim S. Udalrici, qui tùm temporis horum hunc in Commendis, ut ajunt, habuit, Monasterium de novo instaurare cœpit, Cœnobitas revocavit, Abbatem proprium iis præfecit, novámque omnium privilegiorum confirmationem ab Imperatore Ottone I. qui ab an. 963. usque ad an. 973. quo 7. Maji Memleben: / Turingiæ ordinis S. Benedicti Monasterio obiit, impetravit. Austrum hujus Cœnobii magna pars incendio periit an. Chr. 1261.

postridie S. Magni Abbatis et Confessoris seu 7. Septembris. An. 1525. Rustici Anabaptistæ per totam Sueviam grassantes Monasterium hoc occupârunt, ac diripuerunt, necnon vastaverunt, imaginibus, et ornamentis Ecclesiarum laceratis et confractis, Abbatémque Sebastianum à Breitenstein in Arce Liebenthann, in quam unâ cum suis se receperat, obsidentes ad deditionem coëgerunt, captivúmque Campidonam duxerunt, ubi detentus fuit ac seditiosis civibus omnia, quæ in illorum urbem ei competebant, jura pro 30000. florenorum summâ ~~pactionata~~ cedere compulsus est.

In hujus Monasterii Templo sepulta dicitur Hildegardis, Imperatrix, quæ an. 783. ~~diffidentiæ~~ obiit. Ducentis circiter ab ipsius morte annis, cùm Templum hoc restauraretur, inventa est plumbea tabula cum hac rudi et inculta Inscriptione:

Annis decursis septingentis octogintaque tribus
Busto in hoc Bustarii felicem Bustarunt Hildegardim,
Quæ variis claruit signis Dei vigore in multis,
Cujus in pace sancta requiescat anima. Amen.

Monachi Benedictini Cœnobii S. Arnulphi Mettenses contendunt etiam Imperatricem hanc apud ipsos tumulatam jacere, illiusque epitaphium proferunt.

2.° Campidona |: Remgton, Remgtun, et Rembtun :| Urbs libera et Imperialis, olim Drusomagus dicta, ad Ilenum |: Ilm :| amnem, qui illam inter et ejus Suburbium fluit, sita quatuor miliariis ad Euronotum à Leutkircha, sub 20. gr. 50. M. long. et 47. 38. lat.

Est Trevirim et Augustam omnium totius Germaniæ urbium antiquissima censetur, ejusque meminêre Ptolomæus, qui illam Καμπόδουνον vocat, et Strabo, à quo Καμπόδουνον scribitur. Illius etiam in Antonini Itinerario fit mentio, ut et in veteri Notitiâ Imperii, ubi Campodunum dicitur. Denùm illius antiquitatem probant veteres nummi, murales lapides, et quædam argentea cochlearia è terrâ defossa, quibus fortè Sacerdotes Ethnici thus altari imponebant.

Romani illam exuderunt, vastaque jacuit, donec à Carolo Magno restauraretur. Nomen procul dubio à gallico et germanico-celtico vocabulo Don quod collem seu montem significat, ad quem sita est, et à Campo l: Camp seu Kamp :l rivo, qui ad illius dexteram in Ilenum fluuisse dicitur, auspit. Certum est bonum hunc collapsâ Romanorum potentiâ ad Alemannos, et ab his ad Francos pervenisse.

Urbs haec an. 919. seu 920. ab Hunnis devastata fuit. Olim subdita fuit ejusdem nomini Monasterio; verùm circà an. 1356. Cives ex Abbatis imbecillitate et ignaviâ comprendium facientes, jugum excutere coeperunt, eòque rem perduxerunt, ut tandem anno 1525. Abbatem et Principem Sebastianum à Rustiis Anabaptistis in arce Liebenthann, quò, illorum furorem devitaturus, se receperat, captum ac in Urbem suam deductum cogerint, ut pro 30000. florenorum Summâ ipsis omnia, quae in illorum Urbem ei competebant, jura venderet, quod supra annotavimus.

An tunc primùm an verò jam antèà Urbs Imperialis facta fuerit Campidona non satis dignosci potest. Supersse dicuntur Rudolphi I. Caroli IV. et Friderici III. Imperatorum diplomata, quae illam liberam et immediatam S.R.I. Urbem declarant.

Anno 1520. Lutheranismum amplexa est, ac an. 1525. Rustiis Anabaptistis favisse videtur, ut quo ipsis foedera juncta fuerit. An. 1573. pestis in eâ grassata est. an. 1628. 1629. et 1631. Caesarem admittere praesidium coacta fuit, à quo an. 1632. Sueci eam liberârunt. an. 1633. Caesarei redeuntes illam assultu coeperunt, ac diripuerunt. an. 1634. Sueci demùm illam obtinuerunt; at post pugnam Nordlingensem totâ Sueviâ pulsi, illam deseruerunt. An. 1703. Gallo-Bavari post trium dierum obsidionem illâ potiti sunt, eámque et Monasterium diripuerunt; post praelium Hochstettense autem fugâ dilapsi sunt.

Per Sex portas adeam patet aditus, quarum tres sunt in ejus Suburbio. Lintei commercium in eâ

frequens est; adest etiam Salis, quod è Tyroli in Helvetiam transvehitur, sequestratorium ut et mercium, quæ ex Italiâ in Belgium, et indè in Italiam deportantur.

Fuit in ea Monialium Tertia Regulæ S. Francisci Cœnobium ad S. Annam dictum, quas an. 1537. Senatus Campidonensis, cùm ad Lutherana sacra eas nec blanditiis nec minis adducere valuisset, urbe ejecit, ac ipsarum Monasterium in Scholam Lutherano-Latinam convertit.

Moniales Lenzfridam Oppidum non procul à Campidonâ trans Ilerum fluvium situm se contulerunt, quibus FF. Minores de Observantiâ provinciæ Argentinensis Monasterium, quod ibidem habebant, inolendum reliquerunt aliò transmigrare à furentibus Lutheranis compulsi; illud tamen post 100. annos videlicet an. 1649. repetierunt, Sanctimonialibus non procul ab eo recèns constructo Domicilio.

3°. Hilarmontium seu Hildemontium [Hillberg, Hillberg seu Hohlberg, hodie Burgfelden:] Castrum propè Campidonam ad Ilarum amnem. Tiberii Castrum fuisse dicitur. Antè Caroli Magni tempora Sueria Præfecti in eo demorati sunt; brevi post Abbatia Campidonensi adjectum fuit, quod, inter alia, inde colligitur, quod an. 854. Abbas Conradus Dorn de Kalbstangustâ, quod veteris cujusdam Arcis nomen est, ibidem puteum foderit, et aram ferream invenerit Ethnicis nummismatibus aureis et argenteis aliisque ornamentis refertam, necnon an. 940. sub Abbate Ludovico Friedsamer de Rauns in fumum abierit, quo incendio Abbatiæ documenta multa perierunt. Sub Abbate Henrico à Mittelberg, qui ab an. 1356. usque ad an. 1382. quo è vivis excessit, Monasterio præfuit, et plerumque in Castro hoc demorari consueverat, dum ipse die S. Martino sacrâ solemni pompâ et opiparo convivio Martinalia festa in Cœnobio cum Urbis Senatoribus celebrabat, Cives Castrum sub vesperam occuparunt ac direptum everterunt. Abbatem verò in illud redire volentem ingrati convivæ conjurè rejecerunt, è quorum manibus se præcipiens Ilnau ea adhuc nocte fugit. Cives rebellionem hanc et fœdam Castri vastationem causati

sunt, quod Abbatis Ministri et Domestici filias suas in Arcem pertraxitas vitiassent. Re ad Imperatorem Carolum IV. ab Abbate delatâ, is D.C.D. Campidonensem gravi multâ damnavit, et Arcem Abbati restituere coegit; quam tamen paulopost idem Abbas eidem vendidit. Hodiedum ex eo nihil superest praeter murorum ambitum.

4ò Guntia |: Güntzburg :| urbs exigua ad Guntiam |: Günz :| fluvium sita tribus leucis gallicis ad Septentrionem à Campidonâ. Hîc Romani pontem extruxerunt et munierunt, loûmque Transitum Guntiensem nuncupaverunt. Quidam putant esse Guntiam illam, de qua apûd Antoninum et in Notitiâ Imperii sub Duce Rhetiarum fit mentio.

5ò Liebenthannium |: Libenthan, Libenthan, et Libenthain :| Castrum cum ditione semileucâ gallicâ ad Caurum à Guntiâ situm, an. 1479. ab Abbate Joanne de Wendraviâ exstructum. An. 1525. quod supra retulimus, rusticis tumultuantibus, Abbas Sebastianus in illud se recepit, at in illo obsessus ab iis, se dedere compulsus est. Rustici Castrum exciderunt, quod tamen brevi post restauratum fuit.

§. II.

De Urbibus Kauffburio, et Memmingâ

Necnon

Monasteriis Ursino, et Ottoburano.

Principatui Campidonensi junximus hîc Urbes Kauffburium et Memmingam, necnon Monasteria Ursinense et Ottoburanum, quòd in illius sint vicinià.

1ò Kauffburium seu Kauffbyra |: Kaufbüren, Kaufbyren, et Kaufbüren :| Urbs libera Imperialis, sita in extimis Principatûs Campidonensis finibus, ad Wertachium |: Wertach :| amnem 5. Milliariis versùs Orientem à Memmingâ. Illius territorium Episcopatu Augustano, Principatu Campidonensi, et Ursinensi Prälaturâ clauditur. Ajunt eamà Guidone Barone de Hoff, qui cum Imperatore Lothario è gallià hùc venerat, an. 842. exstructam, et à Suis Successoribus usque ad tempora Conradi II. Imperatoris possessam fuisse; tum enim Civis quidam Ottonem liberum Baronem de Hoff in adulterio cum suâ uxore deprehensum occidit, qui praeter Sororem et Fratrem Cathedralis Au-

gustana Eulerie Canonicum, nullum post se reliquit heredem, à quibus Cives libertatem suam emerunt. Volunt alii quì Urbem hanc antiquitùs nonnisi pagum fuisse Grunenfurtum dictum, et ad Abbatem Campidonensem pertinuisse. Verùm quidquid eâ de re sit, jam à plurimis seculis libera Imperii Urbs est, variisque à Rudolpho I. aliisque ejus in Imperio successoribus privilegiis et immunitatibus ditata.

Non admodùm ampla est, sed loco amoeno sita, fossis cingitur et moenibus satis validis; eamque an. 1338. Dux Bavariae in castrum obsedit. Aedes ejus sive privatae sive publicae admodùm sunt elegantes. Cives partim Catholici sunt partim Lutherani, hi tamen illos numero superant.

In hac Urbe Monasterium possident Sanctimoniales Tertiae Regulae S. Francisci à Branobili Virgine Annâ Vom Hoff, de qua superiùs locuti sumus, sub an. 893. pro Virginibus Beginis fundatum, quae circa an. 1325. tertium ordinem Poenitentium S. Francisci amplexa sunt.

Anno 1544. quo Magistratus et plerique Cives Lutheranismum professi Clericos ac Sacerdotes Catholicos loco cedere coëgerunt, Sanctimoniales istae admirandum pietatis et constantiae praebuerunt exemplum: missi siquidem mense Augusto ejusdem anni adeas quatuor Senatores, primùm graviter objurgatis sub gravissimâ poenâ solita Religionis Catholicae et Ordinis sui exercitia penitùs interdixerunt, specialiter autem earum Magistrae seu Superiori demandârunt, ne ullam deinceps ex suis Monialibus à Concione Lutheranâ et placito ad Saeculum egredi prohiberet, ac matrimonio ab iis juxtà libitum contrahendo neutiquam obsisteret, nullamque amplius Virginem in gremium reciperet, nullum Sacellanum sive Confessarium ad se venire permitteret, &c. His nihil admodum mota pia Sanctimoniales in arcta Religionis proposito constanter permanserunt; ac tandem an. 1548. solemni Decreto Interimistico seu formulari Interim per totam Germaniam auctoritate Caroli V. Imperatoris promulgato, in integrum demùm restitutae fuerunt; à quo tempore magnâ sui consolatione et merito, necnon maximâ civium etiam Protestantium congratulatione et aedificatione in praesens usque pristinâ libertate feliciter gaudent.

Anno 1627. auctoritate Imperatoris Ferdinandi

II. Patres Societatis Jesu Kauffbyram introduxerunt, Eos Eberhardus Dux Wirtembergius, sub titulo executionis Instrumenti pacis Westphalicæ an. 1649. solum vertere coegit; at an. 1652. Elector Bavariæ et Episcopus Augustanus vi Rescripti ab Imperatore Ferdinando III. emanati ob quæstionem de Civitatibus mixtis indecisam illos reduxerunt, ubi ad hanc usque diem persistunt, omniaque Sacra ritu Catholico peragunt, necnon juventutem humaniores litteras docent.

Extrà hujus Urbis muros offenduntur Thermæ salubres, quæ variis morbis præsertim arthritidi, et interdum mulierum Sterilitati medentur.

2ᵈ. Ursinum, corruptè Orsingum |: Yorsor, Dorsor, Ursin, Orsin, et Orsin :| Celebre Ordinis S. Benedicti liberum et Imperiale Monasterium, non procul à Vindone seu Wertachio |: Wertarf :| flumine situm Leucâ gallicâ versùs Caurum à Kauffbyra, Diœcesis Augustanæ.

Nomen habet à celebri Romanâ Ursinorum prosapiâ, qui circà an. chr. 150. Italia pulsi in Helvetiam se receperunt, ac tandem in Suevia propagati fuerunt, et quorum unus hîc supra montem, ubi nunc Ecclesia parochialis S. Stephani extat, arcem exstruxit. Hi Ursini usque ad an. Chr. 1113. duntaxat superfuerunt, nec statem, qua Monasterium istud ipsorum nomine insignitum excitatum est, attigerunt.

Igitur Ursinum Cœnobium ab Henrico Marchione de Ronsperg fundatum et completatum perhibetur circà annum 1182. vel, ut aliis placet, 1185. ac primùm inter densissimas Silvas constructum fuit, postmodum in amœniorem Caum montem scilicet, ubi prius Arx Ursina fuit, translatum est, ac ab ea Ursinum vocatum; denique, cum Monachi inibi aquæ penuriâ laborarent, ad ejusdem montis radices ac in planitie collocatum fuit, ubi et hodiedum adhuc extat. Cùmque sensim proventibus auctum spectabile admodùm factum fuisset, sub Conradino Ultimo Suevia Duce unâcum aliis Suevia Prælatis libertatem suam pecuniis emit, ac postmodùm Imperiale liberum factum est, votumque, ut ajunt, Curiatum in publicis Imperii Conventibus et Comitiis obtinuit.

In variorum, quæ in Imperio fuerunt excitata, Bedorum tumultibus Coenobium istud multa adversa sustinuit, præsertim Sæculo XIV. ubi Ludovicus Bavarus et Fridericus Austriacus de Imperii Coronâ inter se decertabant. Portmodùm ob negligentem imò prodigam Abbatis Petri I. ex Nobili Bayssilensium prosapiâ oriundi, qui circa an. 1369. vi, si ita loqui fas est, se in Abbatem obtruserat, adeò immani devenit inopiam adeò, ut penè vastum jacuerit, ipseque prodigus Abbas unâcum suis Monachis loco cedere compulsus fuerit. at an. 1399. Conradus Hausanus Abbas constitutus illud mirè restituit, ~~Monachos revocavit~~, ac incendio consumtum, Monachis revocatis, non solùm instauravit, sed et turrim multâque alia nova ædificia prioribus addidit. Idipsum sedulò etiam præstitit ejus Successor Henricus Eschlor, qui decem florenorum millibus villam seu Vicum Bayssilam circà an. 1424. comparavit,

Anno 1525. à Rustiis per Sueviam tumultuantibus Ursinum occupatum et intra paucos dies bis direptum, demum 18. Maji ejusdem anni incensum fuit. Monachi Kauffbyram fugerunt. An. 1547. Quidam Augustani et Kauffbyrenses Schmalcaldici foederis socii illud expilârunt. In bello item Succico decies spoliatum fuit, ubi pretiosam Bibliothecam amisit. Molestiam ipsi quoque creavit Jus advocatiæ, quo primùm potiti sunt Nobiles de Rambschwag, postèa Nobiles de Ranzenau, ac denique Abbas et Princeps Campidonensis, qui illud an. 1663. — per transactionem an. 1692. ab Imperatore Leopoldo I. confirmatam ipsimet Monasterio Ursinensi cessit.

3°. Utenburra, seu Ottenburra, et Ottenburrum]: Ottenbürrn, et Ottenbürron, seu Ottenbäjorn :[celebre ac præpotens necnon pulcherrimum Imperiale ac immediatum ordinis S. Benedicti Monasterium in Guntiâ vade et ad Guntium]: Günz :[amnem positum, duabus leucis gallicis versus Orientem à Memmingâ.

Olim eo, quo nunc extat, loco stetit Castrum Herzovicæ Comitum, quorum unus Sylachus nomine, qui Alemanniæ Præfectus fuit, unâcum Conjuge suâ

Comparandâ an. Chr. 764. in honorem Dei Optimi Maximi, Principis Apostolorum S. Petri, et S. Alexandri Martyris, cujus corpus ibidem asservatur, pro Inodeum Monachis illud fundavit. Primus illius Abbas constitutus est S. Totonis Fundatoris filius. Tertius ab ipso Abbas S. Nordegarius eodem, quo Abbas electus est, anno scilicet 864. ad Episcopatum Augustanum transiit; eique eodem anno in Abbatiali dignitate successit S. Widegarius seu Widgerus, et Widogerius alibi nominatus, qui postquam summâ cum laude et non sine sanctitatis famâ Monasterio 24. annis praefuisset, à Senatu Cathedralis Ecclesiæ Augustanæ in Episcopum electus est an. 888. Post decennium in pastorali munere plurquàm laudabiliter expletum ad Helvetios id temporis adhuc ex magnâ parte idolorum cultui deditos profectus, eorum quamplurimos ad sana Christiana traduxit, Helvetiorum Apostolus inde merito prorsus promeritus. Demum apud Neophytos suos Christianos an. 902. mortuus et Sepultus fuit, dum adhuc Episcopus simul et Abbas Ottenburanus esset.

Inter Ottenburanos Abbates etiam apprimè celebratur S. Rupertus Ordine XVII. à S. Georgio Hercinia Sylvæ Coenobio an. 1104. postulatus. Is temporum et hominum injuriâ penè collapsum Monasterium primævo splendori suo restituit, et ex aliis Coenobiis Monachos, quibus eum extinctam regularem disciplinam denuò erigeret, adscivit, nubóque deinceps nobilitatis discrimine primus ignobiles etiam, honesto tamen genere natos, recepit, et ad virtutem, quæ sola et unica animorum nobilitas est, sanctissimè educavit; cùm tamen ante illius tempora nulli ad Ottoburanum Monasterium aditus pateret, quem non natalium splendor supra vulgi vilitatem posuisset: at verò cùm Nobilium filii illustre genus suum in ipso etiam virtutum domicilio fœdarent, ut virtuti locus fieret, honestus quisque cum bona mentis comitatu admissus est.

Sub Leonardo Abbate XLII. qui an. 1508. electus fuit, præter ignem extrema quæque omnia perpessum est Ottenburanum Coenobium à Turcis nempè per totum Sueviam grassantibus. Illorum furori cedens Abbas cum fratribus loco cessit, tùm illud totum unâ cum Templo expilatum, attamen intentatum incendium à principio pecuniis redemtum fuit.

Saeculo eodem nempe XVI. cum Lutheranismus jam per totam ferè Germaniam diffusus Monasteriis hisque sacris ultimam desolationem et ruinam minitare videretur, huic malo ~~prohibendis studiis in Ottenburano Monasterio instituendis~~ obviaturi Sueviae Praelati seu Abbates Campidonensis, Weingartensis, Ochsenhusanus, Zwifaltensis, Elchingensis, Wiblingensis, Ursinensis, Donauverdanus, sed vel maximè Ottenburanus, ~~conjuncti~~ publicum Studium in Ottenburâ instituêre, cujus Directores delecti Abbates Campidonensis et Ottenburanus. Professores igitur pingui Salario conducti, qui Graecas, Latinas, et Hebraïcas litteras, disciplinásque Philosophicas, Theologicas, et Humaniores profiterentur et docerent. Studiorum Praefectus fuit Caspar us Kindelmann Ottenburanus. Verùm subsequens bellum hunc Apollinem cum omnibus suis in exilium ejecit, hisque vix erectis Studiis finem fecit. Leonardus Albus verò post multas funesti belli clades vitam in omnium posuit Supplingae, quod Oppidum est ad Acronii lacûs ripam infrà Uberlingam situm: Sepultus fuit ibidem an. 1546. die 15. novemb. in Ecclesiâ parochiali quadraginta annorum Abbas.

Ottenburae etiam celebratur Gregorius Abbas XLVI. anno 1612. electus. Is Benedictina Salisburgensis Academia fundamenta jecit, submissis è suo Monasterio Monachis, qui in eâ Urbe liberales disciplinas ex Marii Sittici Saliburgensis Archiepiscopi voto et voluntate publicè profiterentur et docerent.

In triginta annorum bello Ottenbura multis calamitatibus, non secùs ac cætera Sueviae Coenobia, pressa fuit.

A Variis Imperatoribus percelebre Monasterium istud multis iisque praestantibus privilegiis et immunitatibus auctum fuisse perhibetur. Hujus Abbas equidem Status est Imperii, at jam à pluribus annis ab Imperii et Circuli Suevici Conventibus et Comitiis abstinet frequentandis, postquam nempe vi conventionis cum Domo Austriacâ initae hae Monasterii hujus onera, quibus tàm erga Imperium quàm Circulum Suevicum tenebatur, in se sustinenda suscepit.

In illius Ecclesia ingens adest vis Sacrarum Reliquiarum ac Sanctorum Corporum, inter quæ eminet S. Alexandri Martyris corpus, ad quod crebra fiunt miracula.

Habuit antiquitùs Ottenbura conjunctum sibi Nobile Parthenium, cujus auctor fuit S. Rupertus Abbas, celebris ille Ottenburæ restaurator; quod tamen quonam tempore desierit, ignoratur. Ædes et Sacellum ubi Deo Servire solebant Moniales, etiammum superstant.

4°. Memminga |: Mammingen :| pulchra spectabilis et satis munita civitas, in salubri et fœcundâ planitia sita duabus Lencis Gallicis ad occidentem ab Ottenburâ sub gr. long. 30. m. 4. lat. 47. m. 53. Platea ejus latæ sunt. Illius Territorium partim Iller-â partim Guntiâ valle continetur. Quidam arbitrantur eam esse Antonini Rostrum Nevaviam, alii Notitia Imperii Vimaniam, alii Ptolomæi Dorsonagum, vel Strabonis Augustam Dorsii.

In medii ævi historiâ habemus illam sub Imperatore Friderico Barbarossa Imperii libertatem fuisse adeptam, in quâ ad hanc usque diem fœliciter permansit. Successivè multis ùsque elegantibus privilegiis ab Imperatoribus ditata fuit.

Anno 1524. Lutheranismus in ea vehementer serpere cœpit, ut quem universus Magistratus, necnon plerique Cives et Ecclesiastici professi sunt. Anno 1528. Jamjam omninò invaluit, eique Urbs tota adhærere cœpit; tùm à fœventibus Lutheranis direpta, utriusque Sexûs, quæ in ea extabant, Monasteria, illorum inquilinis in fide Catholicâ constantèr permanentibus urbe ejectis, aut ultrò dilapsis. Solum Hospitale seu Monasterium Ordinis S. Spiritûs, quantum ex iis, quæ supersunt, monumentis colligere licet, intactum reliquerunt. Ejectos tamen postmodùm recipere coacti sunt.

Monasterium istud seu Hospitale fundatum fuit an. Chr. 1010. ab Henrico Domino in Weissenhorn Comite in Mauerstetten Superioris Sueviæ Præfecto circà initium mensis Novembris accitis Româ hujus Ordinis Religionis, prout in Bullâ fundationis exprimitur. Hic Hospitalariorum S. Spiritûs, seu Crucigerorum nuncupatorum, quòd Crux alba duplici ligno transversâ

sint insigniti, Ordo institutus fuisse Constantini Magni aetate à S. Cyriaco, quem postea Julianus Apostata, qui Sanctum virum hunc variis poenarum Supplicijs affectum Christi Martyrem fecit, extinxisse dicitur. Idem Guido Nobilis quidam Montepessulanus denuò excitavit vel restauravit an. 1144. quem deindè Innocentius Papa III. an. 1198. confirmavit, ac illius Alumnos, abrogatâ veteri, Regulae S. Augustini subjecit, et anitis an. 1204. à Montepessulano seu ejusdem instituti Religiosis munificum Hospitale in Dacia recèns à Se ædificatum tradidit incolendum.

Verùm Si hujus Monasterii fundationis bulla, cujus primùm meminimus, fides, jam antum et seu antè annis Roma hujus Ordinis Religiosi extitisse debuerunt: ait enim in eâ Fundator, Se Hospitale Situm in valle ante portam Oppidi in Memmingen, quo vulgariter Kalchthor appellatur, Diocesis Augustensis ædificasse et consecrasse Dominis S. Spiritus de Roma in manus Fratris Stephani primi Praeceptoris seu Magistri, &. Fortè veteres hi crucifori aliquando ad bellum contrà Saracenos amore fidei Christianae profecti, partim in eo trucidati, partim hinc inde dispersi fuerunt, quos deinde Guido Montepessulanus congregârit, Innocentius Papa III. verò Romam denuò convocarit.

Horum Religiosorum Monasteria tot sunt Hospitalia seu Nosocomia, in quibus, sub eorum directione, infirmis, orphanis, et expositis infantibus, necnon pauperibus ad necessitatem providetur. An. 1368. hujus Memmingensis Hospitalis infirmorum, &. cura ac totum regimen Saeculare, de praevio consensu et licentiâ Magni Praeceptoris seu Magistri generalis Romae de more residentis omninò translatum fuit ad politicum seu Saecularem Magistratus; ex quo tempore Hospitalarii Religiosi Spiritualibus ibidem vacant negotijs, habentes liberum ac publicum per singulas domos et plateas Urbis Catholicae Religionis exercitium; undè etiàm liberum est in propriâ suâ Ecclesiâ pulsatis campanis, rem divinam die noctúque solemniter

celebrare, Sacramenta administrare, Baptizare, SS. Eucharistiam ad aegrotos etiam in domibus Lutheranorum decumbentes ritu Catholico cum campanulâ et lumine publicè deferre, mortuos sepelire, &c.

Adest etiam Memmingæ Monasterium Patrum Eremitarum S. Augustini spectatissimo totius Urbis loco propè Basilicam civilem seu Domum Senatoriam viâ regiâ conspicuum. Creditur ipsâ Urbe vetustius, ajuntque antiquitùs quosdam hîc substitisse Eremicolas, qui successu temporis cùm gratuitis benefactorum eleemosynis et oblationibus, tùm dotibus propriis adjuti quædam cœmerunt latifundia, quibus tandem in Monasterium apparatis, isthîc, quo anno, incertum, cœpit Ordo Eremitico-Augustinianus usque in hodiernum diem stabilitus; postmodùm circà illud Monasterium ædes fuisse ædificatas, quæ successu temporis ad tantum numerum excreverunt, ut urbem efficerint.

Anno 1489. Monasterium Benedictinum S. Nicolai numeratum extrà muros Urbis situm à Monachis inquilinis suis, quacunque demùm ex causâ, derelictum unàcum juribus, censibus et reditibus ad illud pertinentibus auctoritate Innocentii Papæ VIII. hisce Patribus Augustinianis in omnimodam possessionem plenissimè traditum fuit et assignatum.

Anno 1527. S.P.Q. Memmingensis novo Lutheri Evangelio sensim imbutus quò blandiùs, quò minùs frioren et religuos hujus Cœnobii Religiosos adduceret frustrà tentavit ad religiosam Stationem suam deserendam, eámque ad manus Magistratûs Sæcularis resignandam. An. 1528. iidem Memmingenses destructis omnibus Ecclesiarum suarum altaribus, demùm minis gravissimis quod eundem Priorem et Conventum instituerunt, ut claves et quæque pretiosa templi cimelia et Monasterii utensilia iis traderent, sed in cassum. An. 1529. Suum S. Nicolai Monasterium, sub prætextu metuendæ hostilis infestationis destruere et solo æquare à Magistratu jussi sunt hi Augustiniani, quod ùnum facere renuerent, illud quantocìùs infimæ sortis hominibus in direptionem datum est ac solo

æquatum, locus verò in Lutheranorum Sepulturam destinatus. Tandem an. 1538. venerabilis hic Religiosorum Coetus post immanes persecutiones patienter exantlatas spoliatus fuit et exactus, quem tamen Imperator Carolus V. post dissipatum Smalcaldense fœdus loco suo restituit, in quo etiamnum adhuc feliciter persistit.

Extat itidem Memmingæ Conventus Virginum sub tertiâ S. Francisci Regulâ militantium, cui an. 1447. quinque Sorores ex Imperiali urbe Ismâ venientes initium dedêre, quæ humilem admodum propè Ecclesiam parochialem B.V. Mariæ dicatam sequenti anno coëmtam successu temporis collectis pionum eleemosynis, opere manuali, receptis et acceptis item tyronum juvenularum dotibus ad Ordinem Susceptarum circa an. 1471. in pulchrum Monasterium Hortum Mariæ nuncupatum converterunt, cujus proventus deinceps ita aucti fuerunt, ut an. 1487. triginta Moniales in eo numerarentur Susceptis etiam ad gremium aliquot Nobilium seu Patriotarum filiabus.

Anno 1528. Memmingam ab urbe Constantiâ Græcus quidam Zwinglianus Ambrosius Blaurer nomine veniens suis concionibus universam Urbem Zwinglianam fecit; hic per annum integrum, ut etiam innocentes et pias hujus Monasterii Virgines ad Sectam suam adduceret, frustrà laboravit: demùm Joannes Oecolampadius Basileâ, et Martinus Bucerus Argentinâ huc advenientes omnem suam promserunt eloquentiam, quò illis novum, quod prædicabant, Evangelium persuaderent, sed surdis fabulam cecinerunt; undè velut in rabiem acti eas minis et opprobriis affectas diabolo devoverunt. Tum Magistratus strictè in eas animadvertere cœpit, sigillóque, documentis, tabulisque suis spoliatas urbis tutelâ privavit, quapropter extrema quoque à furibundâ plebe patiendi periculo exposita consilio et auxilio amicorum vestibus sexum occultantes intrà duorum dierum spatium omnes (: tredecim fuêre :) per cunctas portas urbe egressæ imprendentia sibi mala feliciter evasernnt, Cœnobio suo Acatholico-

rum praeda relicto. Pia Virgines ista exilium pertulerunt usque ad an. 1548. tunc enim auctoritate Caroli V. Imperatoris reducta fuerunt ad in omnia sua spiritualia et civilia jura restituta; illas proinde an. 1549. ultimo Januarii P. Provincialis Franciscanorum Wendelinus Fabri in suum Monasterium denuò induxit.

Fuit etiam Memmingae parochiali Templo S. Martini propiùs adsitum peregregium et opulentum Hospitalariorum Ordinis S. Antonii Coenobium seu Hospitale, cujus Antistes Magnus Praeceptor seu Magister vocabatur, vulgò Herr Gotzmeister Grtz S. Antoni; eorum ultimus Adamus Brunner Protestantium Religionem amplexus, coenobii sui documenta omnia, aliáque instrumenta publica Magistratui Saeculari Memmingensi extradidit reservatâ solummodò ad dies vitae sibi exiguâ pensione.

Habuit etiam Urbs hoc intrà muros suos Coenobium Monialium Ordinis Eremitarum S. Augustini S. Elisabetha, aliàs etiam ad distinctionem Monasterii Tertiariarum, de quo priùs actum, Monasterium Majus dictum. Haec an. 1524. quadraginta numero ad unam omnes Protestantium Religionem amplexae ad nuptias convolârunt. In illarum Coenobium an. 1572. Lutherani Scholam Latinam transtulerunt.

Anno 1626. 20. Septembris Domicilium, seu, ut vocant, Residentia Patrum Societatis Jesu auctoritate Imperatoris Ferdinandi II. Memmingae stabilita fuit: at post promulgatam pacem Westphalicam dicti Patres loco cedere debuerunt.

Anno 1522. Memmingae pestis grassata est, qua multi sublati fuêre; in solo Tertiariarum S. Francisci Coenobio 15. Moniales numerata sunt, quae eâ mortuae fuerunt.

Ubi in Germania Religionis mutatio sumsit initium, Memminga cum Theologis Helvetis consilia contulit, et an. 1530. unàcum Urbibus Argentinâ, Constantiâ et Lindavio doctrinae suae Specialem Confessionem in Comitiis Augustanis exhibuit, brevi post tamen Augustano Lutheranorum Confessioni adhaesit. Deinde Goedeo Gmaelbio

aucsit, quo sibi multa adversa et Imperatoris Caroli V. indignationem accersivit. Anno 1548. formulare Interim acceptare debuit. Integrinta annorum bello undique multis malis pressa fuit, ac alternatim modò à Suevis modò à Cæsareis obsessa et occupata est. Ultimam calamitatem ei an. 1647. attulêre Bavari, quibus post novem hebdomadum obsidionem à Suevis tradita fuit. An. 1702. Elector Bavariæ Ulmâ occupatâ, etiam hanc urbem sibi subjecit, atque Galli et Bavari simul in eâ præsidium tenuêre usque ad an. 1704. quo post prælium Hochstettense illam deseruerunt.

Civium quæstus consistit in agrorum et lupuli culturâ, in mercaturâ et negotiatione variarum mercium præsertim lintei, bombycini canâ misti, Coriï, P. quæ merces in Italiam, Galliam, et Helvetiam dirigunter. Salis commercium hîc quoque viget; et ante annos 60. civiter elegans orichalci opificium erectum fuit.

§. III.

De Dominio seu Principatu Mindelheimensi.

Dominium seu Principatus Mindelheimensis
[illegible] Mindelheim:
limites habet ad Orientem Episcopatum Augustanum ad Septentrionem et Occidentem Dominia Comitum Fuggerorum, et ad Austrum Principatum Campidonensem, p. Ejus ambitus est octo milliarium quatuor scilicet ejus longitudo et totidem ejus latitudo. In eo usque 38. numerantur Pagi, Urbs unica et Oppidum unum.

Olim Regio hæc ad Dominos de Hohensehlitz pertinuit, quibus Duces Teccenses eri illam eripuerunt, penes quos mansit usque ad an. 1439. quo illorum ultimus Ludovicus diem Supremum clausit duas duntaxat relinquens Sorores, quarum una Joanni Comiti de Wertheim, altera Nobili cuidam de Reichberg nupserat. Ditionem Mindelheimensem Comes de Wertheim, factâ affinibus compensatione, integram obtinuit, quo an. 1444. ad Eberhardum

de Reichberg prioris filium, Comite Wertheimensi sine
herede defuncto, devoluta est, cujus filia Babe. dicta
eandem ad familiam de Freunsperg transtulit, pe-
nes quam fuit usque ad annum 1585. quo Georgius
de Freundsperg sine herede ex hac vitâ migravit: pri-
us tamen illum consanguineus suo Wolfango Vito
de Maxelrein adscripsit ea conditione, ut Sororis
suae ~~filiam Mariam~~ et Comitis Schwarzenbergii
filiam Mariam duceret uxorem, et hunc in finem
illum adoptavit in filium. Cùm autem in Cu-
riâ Imperiali pertenderetur jurisdictionem cri-
minalem undenam juribus vectigali et forestali
in hac ditione, feuda Imperii esse, hinc viven-
te adhuc Georgio de Freundsperg Comes Joannes
de Fugger, horum feudorum expectationem, seu,
ut feudistae loquuntur, expectantiam ab Impe-
ratore Rudolpho II. jam ~~obtinuerat~~ pro summa
35000. florenorum obtinuerat; undè, nequiquam
obsistente Georgii de Freundsperg testamento,
post ejus mortem dictus Comes de Fugger an. 1585.
in memorata Imperii feuda immissus fuit, et cùm
posteà ipsius filius Christophorus memoratam Co-
mitis Schwarzenbergii filiam Mariam Comiti
de Maxelrein destinatam duxisset, tùm et hujus
ditionis allodialia, proinde tota ad familiam
Fuggeranam pervenit, eâque frustratum se vi-
dit Comes de Maxelrein. Ne ab ipso ad Imperia-
le Judicium delatâ, tandem an. 1603. Christo-
phorus Fugger sententiam obtinuit, quâ ipsius
conjux Maria tanquam universalis Dominii
Mindelheimensis heres declarata fuit: huic sen-
tiae Comes de Maxelrein non acquievit, sed revi-
sionis remedium apprehendit, et cùm felicem cau-
sae suae exitum sibi minimè sponderet, jus suum
omne Maximiliano Bavariae Duci an. 1614. cessit.
Is Fuggeros adegit, ut pro ingenti pecuniarum
summâ universam hanc Mindelheimensem
regionem sibi relinquerent, cujus deindè tanquam
Imperii feudi investituram ipse ab Imperatore
obtinuit. Sic regio haec ad Domum Bavaricam
pervenit, quae et Principatûs titulo decorata est.

Anno 1633. Suaci Principatum hunc occupárunt, at postmodùm Bavarica Domus illo itenum potitá est, ac tenuit, donec in Hispanico Successionis bello, quo Dux Bavariæ Maximilianus suis omnibus possessionibus exutus fuit, Imperator Leopoldus I. Joannem Churchill Ducem de Marlborong nationè Anglum ob ipsi et Imperio, præsertim in prælio Hochstettensi, præstita obsequia remuneraturus, eidem Principatum hunc à Domûs Bavaricæ Statibus avulsum dono dedit, illúmque S.R.I. Principem voto et sessione creavit, quem tamen vicinis Rastadiensis seu Badensis an. 1714. et 1715. Gallia inter et Imperium conclusa Maximilianus Bavariæ Elector denuò recepit.

Riscovi fluvii in hac regione satis frequentes sunt, neuon ultrà decem exigui Lacus et Stagna numerantur. Versùs Orientem verò et in confiniis Augustanis montosa est, ut et versùs Campidonensem Principatum; versùs Septentrionem ac in finibus Fuggerianis Silvæ quædam occurrunt satis opacæ. Notatur hîc

Mindelheimium |: Mindelsheim seu Mündelsheim:| Urbs in planitie ad Mindelum |: Mündel:| amnem posita, quatuor ferè milliaris ad Euroaquilonem à Memmingâ. Castrum eidem impendet loco eminentiori, qui Mons S. Georgii vocatur, collocatum, et à Friderico Duce Teccensi constructum. Urbs hæc olim Rostrum Nemariæ dicta fuit.

Patres Societatis Jesu magnificum in ea ab an. 1650. possident Collegium, quod antehac fuit Coenobium an. 1260. à viro Nobili Schwikardo vel Schwiggero à Mindelberg Equite aurato, et ejus Conjuge Elisabetha de Aicham in Vico Bedernow pro Wilhelmitis primitùs fundatum, et ab ejus filio Schwikardo II. familiæ suæ ultimo huc translatum. Postmodùm in eo Wilhelmitis successerunt Eremitæ Ordinis S. Augustini; initio circà an. Chr. 1372. vel, ut quidam volunt, 1382. Pater Georgius Friderici Teccensis Ducis filius SS. Theolo-

gia Doctor, et hujus Ordinis per Bavariam Provincialis, Prior fuit, ac in eo Sepultus est. Denique an. 1650. Jesuitis, quos jure et titulo ignotum nobis est, tradi-tum fuit, qui humaniora et Logicam ibidem docent.

Adest etiam Tertiariarum Ordinis S. Francisci Coe-nobium ad S. Crucem dictum, cui an. 1456. sex Vir-gines dederunt initium. Illa mundo relicto col-latisque simul bonis suis aedicula auidam propè S. Stephani Templum se inclusserunt, necnon aliquam-diu sub multâ regulâ Deo servierunt; tandem ter-tiam S. Francisci regulam professae sunt. An. 1588. ipsarum Coenobium ad S. Crucem appellari pri-mùm coepit, partim quia Martinus de Stozingen satis magnam S. Crucis particulam eidem dono dedit, partim verò quia Serpenti in hac Urbe Lutheranis-mo manuleè se opposuerunt, nec unquam Luthe-ranis concionibus, etiam ad illas frequentandas co-acta, aures praebuerunt; imò piis simplicibusque suis adversùs Lutheranismum disputationibus, Dominum de Freundsperg seu Fronsperg, qui tùm Urbi et Regioni huic dominabatur, eò adduxerunt ut Lutheranos Praecones Urbe ejecerit; Sicque Catho-lica Religio in ea et tota Regione harum Sancti-monialium operâ illibatè conservata fuit.

Magna S. Kiliani Martyris Ecclesia Mindelhe-mii an. 1499. erecta fuit. Parochialem verò Ulri-cus Dux Teccensis an. 1409. exstruxit: in ea cons-picuntur magnifici tumuli Ducum Teccensium, ut et Nobilium Rechbergensium et Freunds-pergensium, ut qui successivè Urbi et illius Trac-tui dominati sunt.

Anno 1324. Urbs haec expilata et incensa fuit, sed mox aucta arce suâ restaurata. An. 1369. Walthenus de Hohenschliz Episcopus Au-gustanus patrimonium suum, quod Duces Tecca-les antenatis sui ereptum erant, repetiturus hanc Urbem obsedit, demque in eam fecit impressio-nem occiditur.

§. IV.

De Comitatu Fuggerano seu Ditione Fug-gerorum.

Comitatus Fuggeranus sive Ditio Fuggero-rum Comitum I: die Fuggerische Grafschaft:)

ad Aquilonem Marchionatu Burgoviani et quibusdam Abbatiarum territoriis; ad Occidentem Danubio et Ilero fluminibus; ad Austrum Principatu Mindelheimensi et territorio Memmingensi; et ad Orientem Wertachio, seu Vinda, Vindo, Vindone et Vindone |: Wertach :| fluvio terminatur. Contiguus haud est, sed interdum admixtus quibusdam tum Episcopi Augustani tum aliquot Monasteriorum Dominia intermiscentur.

Comitum Fuggerorum originem perscribit Cuspinianus in Annalibus Sueviæ. Horum hodie sunt familiæ præcipuæ, videlicet Raimundana et Antoniensis, quæ deinde in varias collaterales dividuntur. Præter alias egregias ditiones ad eos pertinent Comitatus seu Dominia Weissenhornense, Kirchbergense, Hohenhoffense, et Wudenstettense, &c. Ratione Comitatuum Kirchbergensis et Weissenhornensis sunt membra Circuli Austriaci; ratione vero Kirchenii, Babenhusii, &c. Circulo Sueviæ junguntur. Habent

1°. Babenhusium |: Babenhausen :| Oppidum ad Guntiam |: Günz :| fluvium tribus leucis gallicis ad Septentrionem à Memmingâ positum. Quidam arbitrantur illud antiquitùs Fabianum dictum fuisse à Fabianis Castris, quæ ibidem fuisse dicuntur, et quorum meminit vetus Notitia Imperii: alii verò contendunt hæc Castra Burgovia fuisse.

Antonius Fugger, qui in hoc Oppido an. 1560. è vivis excessit, illud unanum arce suâ et ditione an. 1538. à quodam Barone de Rechberg emit, et magnâ pecuniarum vi apud Ducem Würtembergium effecit, ut Ditio hæc, quæ priùs feudum Wirtembergium erat, liberum et hereditarium prædium facta sit. In Ecclesiâ Parochiali idem Antonius sumptuosum Mausoleum tam pro se et conjuge suâ quàm pro suis successoribus exstrui curavit.

2°. Kirchberga |: Kirchberg :| Castrum cum duobus Oppidis, quorum unum Kirchberga Superior alterum Kirchberga Inferior nuncupatur, ad Illarum |: Iller :| flumen situm milliario ad austrum ab Ulmâ. Comitatui nomen tribuit, qui olim ad ejus nominis Comites spectavit pertinuit. Ulti-

* Crusius |: Martinus :| natus perhibetur in Oppido Greben Episcopatûs Bambergensis 19. Sept. an. 1526. absolutis Argentinæ et Tubingæ Studiis suis an. 1554. Memmingam accersitus ibidem Scholæ Rector factus est. an. 1559. à Christophoro Duce Wirtembergio Tubingæ quorundam Nobilium Juvenum Informator et Linguæ græcæ Professor constitutus est. Ipse est, qui anno 1573. per Stephanum Gerlachum Baronis de Ungnad Imperatoris Maximiliani II. apud Selimum II. Turcarum Imperatorem Legati Baronem augustanam Lutheranorum confessionem græcè scriptam ad Jeremiam Patriarcham C.P. tanum misit. obiit Tubingæ 25. feb. an. 1607. Inter ejus opera celebrantur Annales Sueviæ.

mo eorum Philippo an. 1510. è vivis absque hærede sublato Comitatus iste, qui Imperii feudum erat, ab Imperatore Maximiliano I. Fuggeris traditus est.

3º Haud procul ab hinc et in hujus Comitatûs tractu seminliari ad Austrum ab Ulmâ ad sinistram Ilari fluminis positum est percelebre Monasterium Benedictinum Wibingum à præterenunte Wibingo fluvio, qui ibidem Ilarо immergitur dictum, communiter tamen Wiblingum |: Wiblingen sive Wriblingen :| appellari solet.

Fundatum perhibetur circà an. 1099. in honorem S. Martini à binis germanis fratribus Comitibus de Kirchberg Ottone et Hartmanno, quod posteà ab ipsorum successoribus, qui in eo sepulturam suam elegerunt, multis prædiis auctum fuit.

Celeberrimum hoc Cœnobium diutis veteribus ædificiis unâum Ecclesiâ magnificè de novo ante annos ædificatum est, ac non modò ædificiis, quibus exornatur, sed et in religiosis inquilinis tùm litterarum scientia, tùm morum disciplinâ exultissimis claret.

4º Weissenhorna |: Wrissahorn :| Urbs angusta cum arce ad Rottam |: Rott :| fluvium opportunè sita 2. miliariis ad Euronotum ab Ulma, et totidem fermè ad orientem à Kirchbergâ. Caput est Comitatûs, qui ab ipsâ Weissenhornensis dicitur. Quidam arbitrantur eam esse Vianam Veterum.

Comites Weissenhornenses, qui simul Comitas Kirchbergenses fuerunt usque ad an. Chr. 1510. superfuêre, tùm illorum prosapia in Philippo defecit, quod supra memoravimus; jamque adhuc illo vivente scilicet an. 1504. Imperator Maximilianus I. Comitatum hunc æquè ac Kirchbergensem sibi asseruerat pactâ cum dicto Philippo annuâ pensione. Cùmque idem Imperator pecuniis indigeret, ambos hos Comitatus pro 70000. florenorum Baronibus Georgio et Jacobo de Fugger an. 1507. oppignoravit, ac tandem additâ priori adhuc aliâ pecuniæ summâ Georgii filii illorum proprietatem adepti sunt. Verùm an. 1724. Imperator Carolus VI.

erarium suum auctorus oppignoratas Austriacas Ditiones, et praecipuè Weissenhornensem et Kirchbergensem, restituto pignore redemit; undè labetur proprietatem illam Georgii Fuggeri filiis ab Imperatore Maximiliano I. attributam redditionis oneri subjectam fuisse. Postmodùm tamen Comitas Fuggeri binos hos Comitatus denuò recuperunt, et hodiedùm adhuc possident. Weissenhorna Cæsarini ab an. 1666. Domicilium habent.

5° Roggenburgum |: Roggenburg, Rochenburg :| olim Bragodum seu Brogodunum, perelebre Ordinis Præmonstratensis Libronumet Imperiale, Diœcesis Augustanæ Cœnobium in districtu Comitatûs Weissenhornensis loco jucundo situm milliari ad orientem à Weissenhornâ. Initio Præpositura duntaxat fuit sub annum 1126. à Bertholdo Sifridò et Conrado germanis fratribus et Comitibus de Biberech, et à Demuthâ Bertoldi Comitis conjuge natâ de Zollern fundata et dotata, qui omnes in illius Templo sepulturam nacti sunt. Anno 1440. in Abbatiam conversa est, illiusque primus Abbas Joannes Turingus fuit. Extinctis postmodum Comitibus de Biberech Monasterium hoc Ulmensium tutelæ ab Imperatoribus commissum fuit. In bello, quod Georgius Bavariæ Dux adversùs Ulmam aliásque Sueviæ Urbes gessit, Abbas omnibus suis rebus spoliatus fuit: at an. 1489. in compositione amicabili q Maximilia- q Sub
ni tunc adhuc Romanorum Regis duntaxat auspiciis inter belligerantes initâ, omnia eidem restituta fuêre.

6° Rodrum, Rhotum, Rotum, seu Monachorum Rotum, Colis Mons, et Cœlius Mons: Münsroden, seu Münsrothen:| perelebre itidem Præmonstratensium Cœnobium, in eodem Comitatu Weissenhornensi inter rivos Haslacum et Rhotam situm duobus milliaribus à Mesmingâ. Fundatum perhibetur an. 1126. ab Hamma seu Henna Baronis et Equitis Aurati Henrici à Wildenberg seu Wildenwerk viduâ in honorem S. Verenæ, et abyssinus binis filiis amplis prædiis auctam et dotatum, qui etiam ejusdem matris suæ in illius Templo sepulti

jacent, prout indicat sequens iborum Epitaphium:

Fundatrice Hemma, Rhenigenum credimus esse
Chunonémque Satos: charâ hîc cum matre Sepultos.

Initio Coenobium hoc Præpositura duntaxat fuit, ejusque primus Præpositus fuit Burckardus, quem ipsemet S. Norbertus Ordinis hujus Fundator ibm miserat, et primùm circà medium Sæculi XII. Abbates habere cœpit. Abbas illius est immediatus Romani Imperii membrum seu Status. Olim Monasterium istud opulentissimum fuit, ita ut 200. Religiosos alaret. At postmodùm non modò occasione 30. annorum belli, sed et duplicis incendii an. videlicet 1676. et 1681. prioris splendoris sui multum amisit.

§. V.

De Abbatiis et Urbibus Danubium inter et Ilarum contentis.

Suevia Tractum hîc expendimus, qui triangulî figuram exhibet, cujus latera sunt Danubius et Ilares fluvii, basis verò Comitatus Waldburgensis et Koenigsecco-Aulendorfensis. Notatur jò Martalum, Martedum, et Marchtalum |: Marstfal:| liberum et Imperiale Ordinis Præmonstratensis et Diœcesis Constantiensis Cœnobium, ad Iteratam Danubii in urbe finitimâ situm Chingam ~~et Riedlingam~~ inter et Riedlingam præclara Austriacæ Domûs oppida, illi ad austrum et huic ad Septentrionem, et ab utroque duabus leucis gallicis dissitum.

Primitùs fuit Septem Canonicorum Sæcularium Collegium fundatum an. 1000. et 1006. ab Hermannis Patre et Filio Suevia Ducibus. Dis, quòd cultus Divinus suæ ætatis temporis abipsis ibidem planè neglectus fuisset, abdicatis Hugo III. Comes Palatinus Tubingensis et ejus Conjux Elisabetha Rudolphi Comitis Brigantini filia ibid in Monasterium conversum et quasi de novo fundatum et dotatum Religiosis Præmonstratensibus tradiderunt inolendum an. 1171. quam fundationem Cœlestinus Papa III. an. 1192. secundo Pontificatûs sui anno confirmavit. Initio Præpositura duntaxat fuit, ac primùm an. 1418. sub

finem Concilii Constantiensis idius Præpositus Henricus Moerstetter primus Abbas ab eodem Concilio renuntiatus fuit.

Sæculo XIV. Eberhardus Comes Wirtembergius Monasterium hoc exædidit. In 30. annorum bello multis calamitatibus afflictum fuit. Modò præclarè floret, multis, iisque eximiis immunitatibus, juribus, exemtionibus et prærogativis ab Imperatoribus et Regibus Romanis successivè donatum.

Fuit etiam secundùm antiquum Præmonstratensium morem ejusdem nominis et professionis ei conjunctum Monialium Domicilium, quod an. 1273. à Conrado XIV. Marchtalensi Præposito suppressum et penitùs extinctum fuit. En hujusce Suppressionis Instrumentum:

Anno Verbi Incarnati millesimo ducentesimo ||
Septuagesimo tertio, Dominicâ, qua cantatur ||
Judica me Deus, ℣. Nos Conradus Præpositus de ||
Marchtalo cum universo Conventu Canonicorum ||
nostrorum attendentes, quòd mulierum nequitia ||
superet omnes nequitias, quæ sunt in mundo, et quòd ||
non est ira super iram mulieris, quodque vene- ||
na aspidum et Draconum sanabiliora sint ho- ||
mini et mitiora, quàm familiaritas mulierum, ||
decrevimus pari consensu et communi consilio sa- ||
luti tàm animarum quàm corporum, et etiam ||
rebus nostris in posterum providere volentes, ut ||
aliquas de cætero Sorores ad augmentum nostræ ||
perditionis nullatenùs recipiamus, sed eas quasi ||
venenata animalia recipere devitemus. Ut ||
autem hæc firmitatis robur obtineant inconvulsum, Ego Conradus prædictæ Ecclesiæ Præ- ||
latus tradidi fidem meam Sanioribus et Senioribus ||
nomine juramenti, ut intrà spatium quinqua- ||
ginta annorum nullam Sororem recipiam vel re- ||
cipi patiar. Cæterorum verò Canonicorum ju- ||
ramenta recepi, ut nullus ipsorum aliquam So- ||
rorem recipiat intrà terminum quinquaginta an- ||
norum, vel recipi patiatur. Post hunc termi- ||

" num elapsum quid Successoribus nostris complaceat, ar-
" bitrio eorum relinquimus. Consulimus autem
" ut ipsi Praedecessorum suorum vestigia ob com-
" modum et Salutem suam in his imitentur. Uti-
" nam fiat!

2°. Heckenbachium, Hoyrachium, et Hoyracum
[: Hoybach, Hoggenbach, Hoybach et Hoyrach :] Nobile
liberum et immediatum Imperiale Monialium Cis-
terciensium Asceterium duabus Leucis Gallicis ad Sep-
tentrionem à Biberaco. Eidem circà an. 1233.
initium dedisse dicuntur duo Nobiles Virgines de
Rosenberg et Landenberg, quibus quinque aliae eti-
am Nobiles se junxerunt. Alii verisimilius me-
morant illud à Norberto Episcopo Curiensi nato Comi-
te de Hohenwart in Bavariâ excitatum fuisse, in-
que et an. 1187. Sepultus fuit. Ecclesia illius S. Ban-
ratio Sacra est.

Monasterium hoc adeò opulentum et Spectabile factum est, ut 120. Moniales in eo Subsi-
terint. Verùm Saeculo XIII. durante Imperii
interregno prorsus collapsum est adeò, ut Mo-
niales ad Suos se recipere coactae fuerint; at
sub Solio Rudolphi I. Imperio Nobiles de Ban-
stetten, Freiburg, Weiler, Ellerbach et Tru-
chsessii de Waldburg illud antiquo Splendori
restituerunt, qui propterea velut Secundi illius
fundatores habiti sunt.

3°. Guttencella seu Bona Cella, olim Dei Cella
[: Gutbronzell, Gutbroncell, olim etiam Gotbro-
zell, et Gotbronzell :] Nobile immediatum ac
Imperiale Virginum ~~Ordinis~~ Ordinis Cisterciensis
Coenobium Illarum inter et Rottam fluvios posi-
tum 4. miliariis ad austrum ab Ulmâ, 3. ad Cau-
rum à Memmingâ, et semimiliario versùs Sep-
tentrionem ab Ochsenhusio. Circà an. 1240.
à duabus Sororibus Comitibus de Schlossberg seu
Schlüsselberg, fratribus earum opem ferentibus, in
honorem SS. Cosmo et Damiani fundatum dici-
tur; deinde ab Imperatore Rudolpho I. an. 1283.
praestantibus privilegiis, à Comitibus ab Aichelm
verò Successivè adeò pinguibus praediis et rediti-
bus auctum est, ut usque 200. Nobiles Virgines,

præter Sorores, quas laicas vocant, aluerit. Postmodùm autem incendiis et bellis ita depressum fuit, ut vix 10. Nobiles Virgines et 8. Sorores laicæ in eo sustentari valuerint. Floret tamen hodiedum religiosis ~~charmis~~ Virginibus tùm generis nobilitate, tùm admirando virtutum exemplo clarissimis oppidò refertum, et ad splendidissimam morum nitelam solertèr exultum.

4º. Rodium, Rothum, Rotum, vel Monachorum Rothum, Colio Mons, et Colius Mons |: Münsmrodn vel Münsrothon, et Münsrot:| Celebre immediatum ac Imperiale Ordinis Præmonstratensis Cœnobium inter Rotam, à qua nomen trahit, et Harlacum fluviolos situm 2. miliariis ad Occidentem à Memmingâ. Fundatum legitur an. Chr. 1126. in honorem S. Verenæ ab Hammâ seu, ut alibi scribitur, Hennâ Baronis et Equitis Amati Henrici à Wildenberg seu Wildenwerck viduâ, et abipsius filiis Rhenigeno et Chunone multis prædiis auctum et dotatum, qui unâcum matre huâ in illius Templo jacent sepulti cum hoc Epitaphio:

Fundatrice Hammâ, Rhenigenum credimus esse
Chunonemque satos: chara hîc cum matre sepultos.

Initiis præpositos duntaxat habuit, quorum primus fuit Burchardus abipso S. Norberto Ordinis hujus fundatore huc missus. at circà medium Sæculi XII. Abbates habere cœpit.

Olim Monasterium hoc opulentissimum fuit ita, ut 200. Religiosos aluerit. At postèa temporem et hominum injuriâ in deteriorem conditionem actum est; Triginta quoque annorum bellum, quod post initium Sæculi præteriti in Germaniâ exortum est, illud penè ad inopiam redegit, et ad miseriarum cumulum bina scilicet an. 1676. et 1681. accesserunt incendia, quibus fermè collapsum est. Postmodùm tamen ita restauratum fuit, ut nunc vel maximè floreat, quamvis antiquum suum splendorem recuperare haud valuerit.

5º. Ochsenhusium |: Ochsenhausen:| Spectatissimum Imperiale et liberum Ordinis S. Benedicti Cœnobium Diœcesis Constantiensis, cui jungitur ejus-

Idem nominis Oppidum, in amoenissimo fertilissimóque agro ad Rotam seu Rotum |: Rotf :| fluvium positum 2. milliariis ad Occidentem à Memmingâ, et totidem ad Orientem à Biberaco.

De illius fundatione omninò quid certum haud habemus: Hæc equidem de eâ narrantur: fuisse minimùm antiquitùs in perveteri Sacello, quod in Monasterii aditu adhuc extat, ubi nunc est publicum coemeterium, quamdam Monialium congregationem, quæ in bellicis tumultibus misèrè vexata in exilium abiêre, mandatis priùs terræ suis pretiosioribus et charioribus rebus, inter quas fuit particula S. Crucis, et quid piam S. Georgii Martyris, cum spe in suo reditu illas iterum inveniendi: cùm interea temporis omnes in exilio suo mortuæ essent, nec ulla rediret, tùm earum Cœnobium desiit coepitque. Tandem factum est, ut bos quidam caluibus terra defossa à Monialibus cimelia et ornamenta effoderet, quæ cùm ad germanos fratres Hartorinum, Conradum, et Adalbertum de Wolfhart-Schwendi horum hujus Dominos delata fuissent, ad restituendum locue Cœnobium adjecêre animum. Igitur ibidem Præposituram seu Prioratum exitârunt et dotârunt, illúmque S. Blasii in Sylvâ Hercinia Ordinis S. Benedicti Monasterio et Abbati subjecerunt. Id factum ajunt an. 1100.

Postmodùm Prioratus iste à Dominis et potestate Abbatis San-Blasiani avulsus Abbatia factus est, illúsque Monachi Specialem sibi constituerunt Abbatem. Quando autem id evenerit, non convenit inter Scriptores: quidam arbitrantur id accidisse an. 1391. sub Papa Bonifacio IX. qui illum à potestate Abbatis San-Blasiani exemit ac in Abbatiam erexit Monachis datâ facultate sibi quem vellent, Abbatem eligendi. ac proinde an. 1392. sub directione et auspiciis Burkardi Episcopi Constantiensis et illorum Diœcesani ipse Præpositus seu Prior Nicolaus Schmidt seu Fabri in primum Ochsenhusani Monasterii Abbatem electus est. Alii verò contendunt Cœnobium istud usque ad tempora Concilii Constantiensis sub dominio Abbatis

San-Blasiani permansisse: tum enim, ajunt, Otto Columna |: Colonna :| Cardinalis Constantiam ad Concilium Româ ~~remissus~~ profectus Ochsenium venit, ubi summâ comitate et benevolentiâ à Monachis exceptus apud ipsos diebus aliquot substitit: tandem in ipsâ Constantiensi Synodo Papa sub nomine Martini V. electus, memor exhibita sibi à Monachis Ochsenusanis benevolentia ipsorum Monasterium à potestate Abbatis San-Blasiani liberum et exemtum dixit ac in Abbatiam Specialem erexit, praclarisque privilegiis donavit. Id factum dicunt an. 1420. Forte factum jam à Bonifacio Papa IX. exemtionem, quòd nondum satis firma esset, ipse roboravit.

Quando autem Coenobium istud Imperiale factum sit, non satis constat. An. 1548. Romanorum Rex Ferdinandus I. illud in suam et Domûs Austriacæ Specialem tutelam assumsit, sub qua etiamnum adhuc degit.

Antiquitùs, et dum adhuc sub directione et obedientiâ Abbatis San-Blasiani staret, in eo clarusse dicitur Henricus illius Prior non tàm sanguine quàm virtute inclytus; cujus sanctitatem, præter alios illius vitæ Scriptores domesticos, prolixè satis celebrat Aegidius Rambeck Coenobii Ochsenhusensis in Superiori Bavariâ et Diœcesi Frisingensi Monachus in suo Calendario Benedictino an. 1624. typis Augustanis edito, part. 4. 5. Novembris.

5d Biberaunm |: Bibrauf:| Libera Imperialis Urbs ad Russam |: Ruß:| fluvium, in quem Bibera |: die Bibr:| rivus ~~in qua Urbe ipse oriunda tangit, non bibat,~~ influit, in amœnâ et fertili montibus cincta valle, loco tamen uliginoso posita 2. milliariis ad Eurum à Buchovio et 4. ad Aphrum ab Ulmâ, sub gr. long. 29. m. 32. lat. 48. m. 4. Nomen habere videtur à Biberis veteri populo, qui in hac plaga resedit, vel etiam à Bibera rivo, qui propè illam Russæ immergitur.

Quo tempore exstructa fuerit ~~exstaverit~~ ignoratur. Memoriâ proditum est illam jam an. 800. amplum fuisse Oppidum: ex antiquis quoque documentis habetur an. 751. Pipinum Franciæ Regem Biberaui fuisse, quod tunc nomisi Vicus erat. Quando an-

tem urbs evaserit, incertum est, quamvis à multo jam tempore Civitas Imperialis sit: verisimile est id sub Imperatore Friderico II. qui an. 1218. electus fuit Imperator et an. 1250. è vivis excessit annuis confectus, evenisse cùm nempè Reutlinga, Eslinga, Hailbronna, aliaque Suevia Urbes novenibus et munimentis instructa fuerunt.

Urbis hujus Cives et Magistratus partim Catholici partim Lutherani sunt. Adest in ea Coenobium Monialium Tertiæ Regulæ S. Francisci, cui an. 1365. initium dedit quædam vidua Biberacensis Adelheidis Schnellin nomine. Hæc enim Specialem domum fundavit pro quinque Virginibus, quæ in eâ Deo servirent: hæ an. 1406. Ordini Tertiariarum S. Francisci sub directione Patrum Minorum Conventualium autoritate Marquardi Episcopi Constantiensis mancipatæ fuerunt: anno autem 1480. earum directis à PP. Conventualibus ad PP. Franciscanos Observantes dictos translata fuit. Ab anno 1531. quo Lutheranismus Biberaci pullulare cœpit, usque ad annum circiter 1546. multas ac graves admodùm persecutiones et calamitates pientissimæ Sanctimoniales istæ in ordium avitæ Religionis constanti semper animo pertulerunt, tandémque, quòd novo Lutheri Evangelio subdi renuerent, omnibus spoliatæ, et Urbe ejectæ Buchoviam ad celebre Nobilium Canonissarum Collegium se receperunt, ubi sub patrocinio ejusdem Collegii Abbatissæ, quæ eis victum et amictum suppeditavit, decem annos degerunt: tum in tumultu Schmalcaldico jussu Magistratûs Biberacensis indè vi abreptæ plaustróque impositæ Biberacum reductæ fuerunt, ubi diras denùò exantlârunt vexationes. Tandem an. 1548. ab Imperatore Carolo V. plenaria possessioni suæ restitutæ fuerunt, nec non hodiedum adhuc sub firmâ Catholici Magistratûs Biberacensis protectione, ac sub spirituali curâ PP. Capucinorum, qui etiam ibidem habent Conventum, anno in Sancta conversatione degentes ad exemplum ipsis etiammum Lutheranis oppidò mirandum regularem clausuram et ordinem suum omni sollicitudine et Sanctitate custodiunt.

Memorati RR. PP. Capucini eandem sortem habuêre ac hæ Sanctimoniales: anno quippe 1618. Biberacum, Dagrè satis ferentibus Lutheranis civibus, amitis Coenobium extrà muros conditum, an. 1615. completum, et an. 1618. 3. Maji in festo Inventionis S. Crucis dedicatum fuit. Coenobium hoc quatuordecim annis tenuêre Batresisti, ubi enim Sueci victricia arma sua in Sueviam usque protenderunt, tùm Biberacenses Lutherani Cives aliarum ejusdem Sectæ religionis Urbium imitati exemplum iisdem Civitatem suam frustrà obnitentibus Catholicis tradiderunt, et hac occasione horum Capucinorum coenobium à frequente plebe lutheranâ penitùs exinanitum est. Variante dein bellifortunâ varia etiam fuit Capucinorum Sors, ac modò cum Cæsareis Urbem obtinuerunt, modò cum eis emigrârunt: tandem à Suecis benignè tolerati stabiliter in Urbe manserunt. Pace dein Westphalicâ publica quietis bono compositâ Batresisti an. 1659. reexcitando Claustro suo animum manumque adjecerunt, ac feliciter an. 1661. perfecerunt, in quo et quiete morantur.

Biberaci extat amplum Xenodochium an. 1239. à Nobili familiâ de Ehrendorff, quæ in Arce Horn exiguo milliari à Biberaco remotâ, atque penitùs Defecit, fundatum pro infirmis, orphanis, et pauperum liberis, qui ibidem educantur. est etiam innocuorum homicidarum asylum. An. 1516. Xenodochium hoc unâcum aliquot frumentariis apotheeis et ferè mediâ Urbis parte in flammas et fumum abiit: Xenodochium an. 1519. denuò restauratum fuit.

In triginta annorum bello Urbs hæc multùm afflicta fuit. An. 1632. frustrà eam obsedernnt Cæsarei, quam tamen anno sequenti pactis conditionibus obtinuerunt. An. 1634. Sueeis cessit, quam post pugnam Nordlingensem deseruerunt. An. 1646. Gallis se dedidit, qui eam Sueeis tradidernnt, à quibus possessa fuit usque ad pacem Westphalicam. In Hispanicæ Successionis bello ab Electore Bavariæ Maximiliano occupata fuit, quam post pugnam Hochstadiensem seu Hoechstettensem deseruit. Anno 1707.

Gabr. Scalis admotis idam obtinuerunt, et ingentem pecuniarum vim condonati inendii aestimationem eidem imperârunt, quantumvis prius jam 11300. florenorum ibis solvisset.

Biberaci praecipuè viget gossypia tela commercium unde et Textorum Tribus inter alias maxima est. Ibi patria Joannis Brandmüller in Universitate Basiliensi Theologiae Professoris apud suos celeberrimi, et oecolampadiana de S. Eucharistiâ opinionis defensoris acerrimi: obiit Basileae an. 1596. mense Martio aetatis suae anno 63tio.

Haud procul à Biberaco extat Balneum Jordanis dictum, quod ex fonte sulphureo prodire videtur: calefit, et tempore vero adversus scabiem aliosque cutis morbos adhibetur.

7o. Buchovia seu Buchaugia]: Bussau :[Urbs angusta Imperialis ad Lauum pluminum]: Federsee :[posita 2. miliariis ad Caurum à Biberaco. In ea collocatum est Imperiale Liberum et Principale Praenobilium Saecularium Virginum Collegium, ad quod nonnisi Comitissis et Baronissis patet aditus. Nullius sunt Ordinis et votis omnibus soluta, liqueque. adnuptias ambita et expetita egredi ac nubere possunt, exceptâ Abbatissâ, cui propter acceptam Pontificiam benedictionem egredi et nubere haud licet; haec vi Privilegii Caroli V. Imperatoris S. R. I. Princeps est.

Collegium hoc quoad Saecularia immediatè subjectum est Imperatori, cujus Commissarii sunt Episcopus Constantiensis, in cujus Dioecesi situm est, Abbas Campidonensis, et Princeps seu Landgravius Fürstenbergius, qui nomine ipsius illud tutari tenentur ita tamen, ut nullam in ipsum potestatem sibi arrogare audeant.

Circà illius originem Bruschius* in suâ Monasteriorum Germaniae Chronologiâ refert, illud initio Coenobium fuisse Sanctimonialium Ordinis S. Augustini ab Adelinde Comitis Ottonis Calvariensis seu Kesselburgensis]: Von Kesselburg :[conjuge ac Hildebrandi Suevia Ducis filiâ et Hildegardis Caroli Magni Imperatoris uxoris sorore fundatum, postquam licet Maritus ipsius unacum tribus filiis suis commisso cum Hunnis praelio interemtus fuit; cujus ipsa-

* Bruschius]: Caspar :[Schlakenwerdae in Bohemiâ 16. Augusti an. 1518. natus est, exactis duobus aetatis suae annis Cyrum deportatus ibidem educatus et litteris imbutus fuit.

met prima Abbatissa ~~fuit~~, atque in ejus Ecclesiâ una cum familiâ suâ sepulta fuit. Postmodùm, ùm incendio periisset, ab Imperatore Ludovico Pio restauratum, et dotatum neenon multis privilegiis auctum fuisse anno 821.

Verùm celebris Jesuita Brunerus** hoc omne, quod Bruschius de Monasterio Buchoviensi narrat, meram fabulam reputat et ex Hermanno Contracto deduit paulò ante annum 901. Monasterium hoc ab Adelinde Ottonis Calwariensis uxore fundatum fuisse, idque eò verisimilius est, quòd illo tempore Hunni, seu Hungari potiùs, in hac plagâ magis noti fuerint, quàm ætate Caroli Magni.

Adalinda seu Adelindis propter insignem vitæ ac morum suorum innocentiam Sanctorum fastis adscripta fuit, ejúsque festum 28. Augusti celebratur. Eâ die Abbatissa in ejus memoriam per singulas sibi subditas Virgines Comitissas et ~~Abbatissas~~ Baronissas omnis generis advenientibus, et ex totâ circumjacente regiunculâ accurrentibus loco etiam infimo natis hominibus panes distribuit ~~quos~~ Adelindis ~~memoratur~~ Siligineos, qui S. Adelindis vocantur; quod fieri consuevit insigni pompâ, cujus ipsemet Bruschius anno 1548. spectatorem se fuisse, cum 4000. hujusmodi panes distribuerentur, asserit.

8° Altishusium |: Altshausen, Alsshausen, Alrshausen, et Ilshausen :| Oppidum in edito colle situm duobus miliariis ad Austrum à Buchoviâ.

Oppidum istud unacum amplissimo circumquaque tractu seu Territorio jam à longis retrò seculis possidet Equestris Teutonicus B. V. Mariæ Ordo, ac in eo residet Supremus Baliviarum Burgundiæ, Alsatiæ et Sueviæ Commendator, qui liberis et Immediatis S.R.I. Statibus annumeratur. Antehac magnificum hîc visebatur Castellum, quod Sueci an. 1647. in cineres redegerunt.

Altishusii extat tumulus orbi notissimi Astronomi et Historici peritissimi Hermanni Contracti, ad quem non magna facilitate pervenitur, ac an. 1552. Viennæ à Ferdinando I. Romanorum Rege Poëta Laureatus et Comes Palatinus creatus fuit, ùm Maximiliano Hungarorum Regi primam suam de Monasteriis Centuriam offerret. Tandem an. 1559. in Schlingensensi Sylvâ Rothenburgum ~~inter~~ ad Tuberim inter et Winshemium in Franconiâ à quibusdam Nobilibus, adversùs quos quidpiam vulgare parabat, glandis plumbeæ ictu exanimatus fuit.

Scripsit inter alia Monasteriorum Germaniæ Centuriam I. ~~quæ~~ Daniel Nesselius an. 1692. ex MSC. Bibliothecæ Cæsareæ Supplementum seu Centuriam II. vulgavit. Idem Opus sub nomine Chronologiæ Monasteriorum Germaniæ præcipuorum seculis typis prodiit Sulzbachii an. 1682.

** Brunerus |: Andreas :| celebris et eruditus Jesuita Hallâ Tyrolis oriundus, obiit an. 1690. Scripsit inter alia Annales virtutis et fortunæ Bojorum.

trasti Augiæ Divitis vel ut quidam volunt, S. Galli Benedictini Monachi è Veringensium Comitum prosapiâ oriundi, qui an. 1054. die 19. Julii mortalitatem exuit, et ad quos locus iste pertinuit, fuitque Sedes eorum.

9.° Soretum |: Schussenried, Schussenried :| percelebre Ordinis Præmonstratensis liberum et Imperiale Monasterium Dioceseos Constantiensis, propè fontes Schussii |: Schuß :| fluminis situm miliari et paulò amplius ad Euronotum à Buchoviâ.

Fundatum perhibetur an. 1187. sub Imperatore Friderico I. à binis improlibus germanis fratribus Beringero et Conrado Baronibus de Schussenried Equitibus Auratis in loco, ubi Castrum Sedes eorum erat, acitis ex Albâ seu Minore Augiâ |: Weissenau :| præposito et Religiosis, qui illud ædificarent et incolerent; quibus etiam omnia sua prædia possessionésque contulerunt, quam collationem seu donationem, quò futuris fortè malis obviarent, ab Imperatore Friderico confirmari curârunt, necnon Cœnobium istud unacum eidem traditis bonis suis et possessionibus, huic Imperatori ita subjecerunt, ut semper in illius et successorum suorum Imperatorum speciali tutelâ permaneret, sicque impediretur, ne fortè illorum hæredes post ipsorum mortem aliquid sibi juris ad ea bona et possessiones arrogarent: tùm Beringerus Monachus Conversus ibidem factus est, Conradus verò novi Claustri Œconomiam gessit. At hæc præcautio minimè obfuit, quin post illorum obitum Conradus de Wartenberg horum binorum fratrum Sororis filius Soretanorum bonorum hæres, ope Conradi Sueviæ Ducis, ibi, sibi asseruerit. Re ab ipsis ad Summum Pontificem delatâ, is dictum Conradum de Wartenberg excommunicationis fulmine perculit, quo factum ut an. 1205. sub arbitrio Diethelmi Constantiensis Episcopi et quorundam aliorum, conventio inter ipsum et Monachos inita fuerit, vi cujus, retentis quibusdam bonis, aurum illorum Suorum fundationem, omni ad eam præten-

sione abolitâ, confirmârit. Trinitâ hac procellâ novum hoc Monasterium omnimodam tranquillitatem adeptum est, multisque cùm à Summâ Sede tùm à Romanis Imperatoribus et Regibus præclaris immunitatibus et juribus ditatum fuit. An. 1441. Præpositus Soratanus Conradus Rauber in Concilio Basilaensi Abbatis dignitate insignitus est.

An. 1632. Sueci Cœnobium hoc in cineres redegerunt, illinsque prædia funditùs pessumdederunt. Postmodùm tamen et successu temporis antiquo splendori restitutum fuit, ac hodiedùm adhuc insigniter clavet.

Sectio VI.

De Principatu Hohenzollerano.

Principatus Hohenzolleranus |: Hohenzollern :| Ducatu Wirtembergico, Principatu Fürstenbergico, Austriaco-Superiori et Superiore Comitatu Hohenbergensi plerumque clauditur. Angulum obtusum exhibet, ejusque latitudo est circiter sex milliarium. Componitur ex Comitatibus Hohenzollerano proprio, Sigmaringensi et Veringensi. Hodie bina sunt Principum Hohenzolleranorum familia, ambæ Catholicæ, quarum una Hechingensis, altera Sigmaringana dicitur; prior Comitatum Hohenzollerannm propium et quo ad illum pertinent, possidet; ad alteram pertinent Comitatus et Domicilia Sigmaringanum Veringense, Haigerlochense, et Werhostainense.

Principes Hohenzollerani sunt Hereditarii S. R. J. Cubicularii, quod munus, qui ex familia annis senior est, semper exercet. Regia Borussica et Brandenburgica Domus ex hac antiquissimâ Hohenzollerauâ prosapiâ duxit originem.

§. I.

De Comitatu seu Principatu Hohenzollerano proprio.

In eo occurrit jo Hohenzolra |: Hohen-Zollern :| Castrum in eminenti sano positum, necnon mœnibus et propugnaculis apprimè instructum Semimilliari ad Austrum ab Hechingâ, quod toti Principatui

ipsique Principibus nomen tribuit. An. 1422. Septendecim Urbes Sueviæ illud occupârunt et combusserunt; et an. 1429. cùm illius instauratio pararetur, materia fabricaria ab iis inventa et pessundata fuit: attamen Comes Ludovicus Nicolaus postmodùm illud reædificavit, et adèo validè munivit, ut Wirtenbergenses an. 1632. primùm post annuam obsidionem seu circumobsessionem illud obtinere valuerint. Domus Austriaca in eo jus habet præsidii. In Austriaca Successionis bello Galli præsidio mutatum occupaverunt.

2°. Hechinga | : Frefingen : | Urbs ad fluvium Harzel sita non procul ab Hohenzolerâ, 4. leucis gallicis ad Austrum à Tubingâ. Sedes illarum Principum Hohenzolleranorum, qui ab eâ Hechingenses nuncupantur. Nomen accepit ab Hechingo Sueviæ Duce Friderici primi Comitis Zollerani ex materno sanguine proavo, qui illam exstruxit, undè melius Hechinga quàm Hechinga dicebatur. Castellum habet ab eodem Friderico constructum. Ei jungitur Spatiosus Hortus seu Vivarium. Anno 1388. urbs hæc pro 1300. florenis Comiti Wirtembergio oppignorata fuit à Friderico Episcopo Argentinensi, qui illam Comitibus Hohenzolleranis ereripuerat; quam postèa tamen à Comite Eberhardo iterùm recuperarunt.

Hechingæ floret Collegium Canonicorum Sæcularium à Comitibus Zolleranis circà an. 1488. fundatum: constat Decano, Parocho, octo Sacellanis, et duobus Diaconis sive Adjutoribus.

Duo. abhinc passibus extat Ordinis Minorum S. Francisci Strictioris observantiæ asceterium, quod aliquot ab hinc Sæculis à quodam Zollerano Comite fundatum, postèa neglectum, an. 1586. denuò restituit Eutelius Fridericus Comes de Zollern acitis ex Monacensi Ob. Franciscanorum Monasterio Religiosis, qui illud incolerent.

In illius Templo Zolderani utriusque Sexûs Principes habent Sepulturam.

§. II.

De Comitatu seu Principatu Signaringensi

Comitatus seu Principatus Sigmaringensis |: Die Grafschaft vel das Fürstenthum Sigmaringen :| versus Occidentem Hohenzolleranо propriis jungitur et ad Danubium usque porrigitur. Ab eo altera Principum Hohenzolleranorum ~~Sigmaringensis dictus~~ familia Sigmaringensis dicitur, cujus Auctor Comes Carolus II. an. 1606. diem Supremum obiit.

Sub Imperatore Carolo V. extinctis Comitibus Werdenbergensibus, ad quos sub titulo Comitatûs pertinebat, ad Imperium devolutus est, nec non ab eodem Imperatore Domui Zolleranae an. 1529. traditus fuit; undè Domus Austriaca Supremam in idem jurisdictionem pertendit; Zollerenses tamen hactenùs suam Imperii immediatatem tuiti sunt. Hîc notandum occurrit

1o Sigmaringa |: Sigmaringen :| Urbs cum Castro totius Comitatûs Metropolis, et à qua Principes ipsi, qui in ea resident, nominantur. Sita est ad dexteram Danubii ripam, qui ibidem peninsulam efficit milliari et amplius ad aquilonem à Meskirchis.

2o Veringa |: Veringen Vöringen :| Urbs exigua ad Lucartam |: Lauchart :| fluvium Sita duabus leucis gallicis ad Septentrionem à Sigmaringâ, unacum Arce. Est caput ejusdem nominis Comitatûs, qui olim proprios habuit Comites, fuitque celebris et amplus, ut ejus limites à Suevicis Alpibus longiùs ultrà Danubium porrigebantur, at nunc artis satis limitibus coarctatur. De hujus Comitatûs origine certum quid vix memorari potest. Olim eidem imperasse dicuntur Comites, quorum prosapiam Cuspinus à veteribus Varnis Suevis populis derivat, qui, si cum Comitibus Dillingensibus eandem origi-

nem non habuerunt, proximi tamen ejus consanguinei fuerunt. Ex hac antiquissima Comitum Veringensium stirpe permulti prastantes Heroës, necnon Reipublicæ et Ecclesiæ apprimè utiles viri prodiêre, inter quos haud ultimus fuit Hermannus Contractus Monachus Benedictinus, cujus jam alibi meminimus. Illis extinctis potior eorum Comitatûs pars ad Schenkios de Waldburg, Urbs autem Veringâ cum suo districtu ad Werdenbergenses, ac tandem, iis demortuis, ad Domum Austriacam pervenit, quam deinde Carolus V. Imperator Austriali filio suo Carolo Comiti Hohenzollerano in Domûs austriacæ feudum tradidit.

3° Haigerlochia |: Haigerloch :| Urbs exigua cum arce ad Eyacum |: Eyach :| fluvium, ubi Nicro immergitur, sita duabus leucis gallicis versùs Occidentem ab Hechinga. Nomen tribuit Tractui, qui ob ea Haigerlochensis dicitur, atque confinis est ad Occidentem Comitatui Hohenbergensi Inferiori, et Ducatui Wirtembergio; ad orientem verò Principatui Hohenzollerano proprio. Olim Tractus iste Comitatûs nomine veniebat, et ad Comites Hohenburgenses vel Hohenbergenses pertinuit, à quibus ad Domum Austriacam translatus est, et sub finem Sæculi XV. ob ea "ad" Zollerensem familiam.

4° Haigerlochensi Dominio versùs Septentrionem jungitur Castrum Wehrsteinicum |: Werstein :| unacum ejusdem nominis districtu. Olim Comitatûs Hohenbergensis pars erat.

Sectio VII.

De Dominiis Domûs Austriacæ in Suevia.

Expensis prioribus Sectionibus Dominiis, quæ varii Principes, Comites, Barones, Prælati in Suevia possident, superesse modò videtur, ut ea, quæ ad Domum Austriacam in eâdem provinciâ pertinent, exponamus. Sunt autem sequentia: Marchionatus Burgoviensis; Ditio Schelkingensis; Urbes Ehinga, Munderkinga, Riedlinga, Sulgavia, &c. Comitatus Hohenbergensis Superior et Inferior; Landgraviatus Nellenburgensis; Præfectu-

ra provincialis Suevica; Comitatus Brigantinus; Brisgoja, Quatuor Urbes Silvaticæ. Inter quæ Dominia etiam alia, à Domo Austriacâ minimè pendentia sed Imperio immediatè subjecta continentur, quæ et simul expendemus.

§. I.

De Marchionatu Burgoviensi.

Marchionatus Burgoviensis |: dàs Markgrafthum Burgau :| limites habet ad Occidentem et Septentrionem Danubium; ad Orientem Episcopatum Augustanum; et ad Meridiem quædam Nobilium et Prælatorum Dominia et Comitatum Fuggeranum. Ejus longitudo est 8. miliarium, latitudo totidem.

Olim proprios habuit Marchiones, quibus subfinem Sæculi XIII. vel initio XIV. extinctis ~~Domus~~ Dominus Austriaca seu Habspurgica ~~marchionatum totum sibi~~ factus est. Bavari illum sibi asserere conati sunt, nec tamen obtinere valuerunt, donec an. 1472. ab Austriacis Episcopo Augustano oppignoratus fuit, à quo deinde Georgius Bavariæ Dux illum, datâ ei oppignoratâ sorte, obtinuit. At an. 1492. Archiducis Sigismundus demùm illum ipsorum minat Subditorum pecuniis redemit, ac postmodùm Episcopo Augustano iterùm oppignoravit, quem an. 1559. Ferdinandus I. Imperator, redditâ pignoris pecuniâ, demùm recepit.

Cùm Sæculo præterito Galli Marchionatum Badeno-Badensem penitùs devastassent, Imperator Leopoldus I. Strenuo Principi Badensi Ludovico an. 1693. damnum eidem à Gallis illatum resarciturus, Marchionatum hunc tradidit; pro quo postmodùm Ortenaviam Brisgojæ contiguam provinciam recepit in feudum masculinum, quam posteris suis reliquit.

Hûc Notatur

1°. Burgovia |: Burgau :| Urbs Arce instructa, Marchionatûs nomen tribuens, ad Mindelam |: Mün-

Del: fluvium Sita, 6. Leucis Gallicis versus Occidentem ab Augustâ, 7. ad Orientem ab Ulmâ Sub gr. long. 26. m. 6. lat. 48. m. 29. Imperator Ludovicus Bavarus illam occupavit, et satis inclementer habuit; quod an. 1371. ubi Bavaros inter et Austriacos simultates vigerunt, denuò factum est.

2°. Guntia, Guntzburgum |:, Güntzbürg, Güntzbürg:| Urbs augusta ad Guntiam |: Güntz :| fluvium, ubi in Danubium influit posita 3. milliariis ad Euro-Aquilonem ab Ulmâ. In ea sub finem prateriti seculi et initio præsentis Princeps Badensis Ludovicus resedit. Quidam arbitrantur Urbem hanc esse Antonini Guntiam, at Velserus vult Antonini Guntiam illam esse, quam supra, ubi de Principatu Campidonensi nobis sermo fuit, retulimus; cui adstipulatur Cluverius, qui nihilominùs hanc Guntiam antiquam esse censet, ac Constantini Magni Imperatoris ætate Contiam fuisse nuncupatam.

In eâ sunt bina Ordinis S. Francisci cœnobia, unum virorum Capucinorum scilicet; alterum Virginum, quæ Tertiariæ vocantur. Prius excitatum fuit circà an. 1610. à Carolo Archiduce Austriæ et Burgoviæ Marchione. Huic verò an. 1433. initium dederunt duæ Sorores Guntzburgenses, quæ primùm in privatis propriis ædibus celibatum servantes raro vitæ sanctioris exemplo præluxerunt, ac proin in par pietatis studium alias pueellas attraxerunt, et tandem an. 1487. Tertiæ S. Francisci regulæ se mancipaverunt.

Ante aliquot annos Guntiam auctâ fuerunt celebres Patres Piarum Scholarum provinciæ Austriacæ, quibus Rex magnis sumtibus ab Imperatrice Theresiâ restaurata, et ædificiis aucta ad incolendum tradita est. In eâ Academiam erexerunt, ac insuper juventutem masculam à primis litterarum elementis ad sublimiores usque disciplinas imbuunt.

3º Wettenhusium, seu Praelaturam Wettenhusanam [: Wettenhausen vel Wettenhausen :] celebre ac pervantiquum Imperiale Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini et Dioecesis Augustanae coenobium commodo et eleganti loco Ulmam inter et Augustam ad Camlachium [: Camlach :] amnem positum miliari ad Austrum à Burgovia. Fundatum perhibetur à Gertrude Comitissa de Roggenstein* viduâ an. chr. 982. vel, ut ejusdem Coenobii Annales habent, 802. fundum et praedia tribuentibus ipsius filiis Conrado et Wernhero, unitis in illud ex Augustano SS. Walbrici et Afrae Monasterio, tunc temporis ab ejusdem Ordinis Canonicis Regularibus inhabitato Religiosis.

* Roggenstein Castrum jam ab an. 1324. in ruderibus suis absconditum, quantum jactus est lapidis Wettenhusio dictans.

Post fundationem suam Coenobium hoc multos numeravit insignes benefactores, praesertim Henricum V. Burgoviae Marchionem et Comitem de Roggenstein ultimum, qui sub finem saeculi XIII. vel initio XIV. è vivis excessit.* An. 1412. Sigismundus Archidux Austriae Abbati Wettenhusiano pro certâ quadam pecuniae summâ Advocatiam ipsius Monasterii, quae ejidem competebat, cessit.

* Quidam ajunt illum an. 1283. obiisse, alii autem an. 1310. idque verisimilius ex eo est, quòd memoriâ proditum sit, Civitatem Augustanam an. Chr. 1291. Henricum hunc in advocatum et Protectorem sum assumsisse.

Aliàs etiam Coenobium hoc Principes Austriaci Burgoviae Marchiones, p. variis juribus et privilegiis donârunt et cumulârunt, quae Imperator Leopoldus I. novo diplomate confirmavit, plurimumque auxit. At in 30. annorum bello mille diris afflictum fuit, continuisque hostium direptionibus infestatum imò penitùs attritum, et ad inopiam redactum penè omninò defuit, quousque redditâ communi patriae pace, tot ac tantis immanium persecutionum tempestatibus undique sedatis serior Phoebus illuxit, atque succedentibus annis omninò restauratum, muris que et aedificiis à fundamentis novis instructum fuit.

E Wettenhusio viri rerum scientiarumque virtute praestantes prodierunt, inter quos recenseri meretur Franciscus Petrus, qui an. 1699. Suevian Ecclesiasticam Opus percelebre vulgavit.

Quæ circà hujus Monasterii fundationem quidam Scriptores narrant, scilicet Gertrudem à suis filiis tantum agri ad construendum Monasterium impetrasse, quantum unius diei decursu circum arare posset; tùmque pio dolo commodum ac miræ parvitatis aratrum adornans, idque è collo pendulum ac in sinu suo reconditum gestans limites illos, ad quos hodiedum adhuc Monasterium protenditur, felici celeritate circumscripsisse, p. meram fabulam arbitramur.

4°. Edelstetum seu Ottinstetum, vel Edelstetense Cœnobium [: Edelstetten, Edelstädten, Ödelstetten, Ötlingstetten, item Etlingstädten :] Perillustre Canonissarum Sæcularium Collegium ad Mindulam [: Mindel :] amnem positum duobus milliariis ad Euronotum à Wettenhusio et semi ab Urspergo, an. 1126. à Giselâ seu Gíselinâ Comitissa de Schwabeck et Balzhausen pro Monialibus Ordinis S. Benedicti fundatum, cujus et ipsa prima Abbatissa fuit. Modò, quod prius dictum, est Collegium Nobilium Virginum Canonissarum, quæ nulli Regulæ adstrictæ communem agunt vitam; Sola Abbatissa, propter Susceptam Benedictionem Episcopalem, voto castitatis adstringitur.

Circà hujus Cœnobii fundationem redit eadem avatri fabula, quam primùm de Wettenhusano Monasterio retulimus, hoc tamen discrimine, quòd Gertrudis filios suos, Gisela verò fratrem Suum Wernherum circumvenisse dicatur, hujusque Avatrum argenteum, Gertrudis verò simpliciter exiguum avatrum fuisse memoretur, et ex quonam metallo confictum fuerit, taceatur.

5°. Fultenbacum seu Fultenbacense Cœnobium [: Fultenbach :] antiquissimum Ordinis S. Benedicti Monasterium Diœcesis Augustanæ mediâ quasi viâ, quæ Augustâ Vindelicorum Dilingam itur, Loco amœno et velut inter Sylvas collocatum 2. milliariis et semi ad Euro-Aquilonem à Burgoviâ,

Aliud circà an. Ch. 739. S. Wicterpus Augustanus Episcopus ad S. Bonifacii monitionem fundavit pro Anachoretis quibusdam, qui vitæ solitariæ cupidi in Sylvis circumcircà Sanctâ degebant, quò scilicet in eo congregatè Regulari et Monastica disciplinæ manciparentur. Postèà Monasterium istud temporum injuriâ variè perturbatum pessum ivit. Tandem tamen circà an. Chr. 1130. idem denuò excitavit Canonicus quidam Augustanus Gebeon nomine, qui dimissâ præbendâ huâ Cathedrali strictioris vitæ desiderio habitum Monasticum assumens, ibidem primus Abbas præfuisse perhibetur; de quo hi versus:

Cœnobio primus generosus Gebeon Abbas
præfuit atqve benè profuit Iste Pater.
Iste Monasterium hoc fundavit, rexit et auxit
Fundans stellatâ sic sibi in arce Domum.

6° Urspergum, seu Prælatura vel Abbatia Urspergensis |: Urspring, Aurodpurg, sive Aurea burg:| Magnificum ac pererelebre Ordinis Præmonstratensis Immediatum ac Imperiale Monasterium Diœcesis Augustanæ, unam Oppido ejusdem secum nominis ad Mindelam |: Mindel:| flumen situm Augustum Vindelicorum inter et Ulmam leucâ circiter gallicâ versùs Euronotum ab Edelstato.

Fundatum et extructum perhibetur an. Ch. 1125. à Wernhero Comite de Schwabeck* et Balzhausen et ipsius Uxore Richenzâ natâ Marchionissâ Austriæ. Initio Expositura duntaxat fuit, at an. 1349. à Clemente Papâ VI. Abbatia factum est.

Quater Cœnobium hoc combustum fuit et penitus devastatum, scilicet, an. 1141. 1216. 1525. et 1632. postmodùm autem semper restauratum est, necnon privilegia sua, immunitates et jura à Romanorum Imperatoribus et Regibus non obstanta tranquillè possedit. Anno 1200. Philippus Imperator, quem Otto Witelspachius Bamberga an. 1208. perfidè trucidavit, illud Nobili cuidam Bertholdo de Neyffen

* Schwabecki Arx Comitum Schwabecensium, qui ex regiâ Polonorum et Hungarorum prosapiâ nati fuisse dicuntur, Antiqua Sedes, 2. milliariis à Munde Chiemio |: Mündrching:| Urbe Austriacâ. Arce hac prorsùs devastata et eversa jacet.

pignoris titulo obligavit; at Monachi Solutis 200. marcis Argenti demùm libertatem suam adepti sunt.

Inter hujus Monasterii Abbates præcipuè celebratur Henricus à Lichtenau, communiter Abbas Urspergensis appellari solitus, qui Chronicon scripsit à Nino Assyriorum Rege usque ad tempora Imperatoris Friderici II. perductum, et typis Basileensibus an. 1569. vulgatum. Obiit Abbas hic an. 1240.

§. II.
De Dominiis Schelkingensi et Justingensi.

Dominium Schelkingense |: Die Herrschafft Schelkingen :| limites habet à Septentrione et Oriente Ducatum Wirtembergicum; ad Occidentem Baronatum Justingensem, et ad Austrum, si eidem Ditio Ehingensis jungatur, longus juxtà Danubium porrigitur.

Olim Speciales suos habuit Comites, qui simul Comites de Monte |: Von Berg :| dicti sunt. Illis circà medium Sæculi XIV. extinctis ad Archiduces Austriæ pervenit, qui illud Burcardo de Stadion oppignoraverunt. Circà medium Sæculi XVII. illius possessores fuerunt Barones Schenkii de Castell |: Schenck-Von Castel :; occurrit

1°. Schelkinga |: Schelklingen :| Urbs exigua cum Castro leucâ Gallicâ ad Austrum à Blabyria dictans.

2°. Urspringum |: Urspring :| celebre Nobilium Virginum Ordinis S. Benedicti Monasterium semileucâ Gallicâ ad Occidentem à Schelkinga, et duabus ad Septentrionem ab Ehingâ, ad scaturiginem Aræ |: Ach :| fluvioli, qui propè Blabyriam Blavo |: Blau :| influit, in amœnissimo Agro inter montes Situm.

Communis opinio est Monasterium hoc ætate S. Udalrici |: qui an. Chr. 890. natus, an. 923 Episco-

pius Augustanus factus, tandem postquam 50. annos Episcopatui suo summâ cum laude præfuisset an. 973. in famâ sanctitatis è vivis excessit, ac an. 993. Sanctorum albo inscriptus fuit, primus exterorum et Germanorum, qui à Summis Pontificibus inter Sanctos relatus fuerit; à suis parentibus fundatum fuisse. Anno autem 1127. Sub Imperatore Lothario II. ~~anctum~~ à Germanis Nobilioris prosapiæ militibus Rudigero, Adelberto, et Walthero Dominis de Schelkingen villâ et Castro autem abipsis aura et Visitationi Wernheri Monasterii S. Georgii in Sylvâ Nigrâ Abbatis commendatum est; quod munus ad hanc usque diem illius Successores, qui modò Villingæ residunt, exequuntur. Cùm circa an. Ch. 1250. Fontanas Imperatoris Friderici II. cui cùm Romanâ Sede graves erant simultates, miserè vastatum ferro et igne delatum fuisset, Alexander Papa IV. paulo post scilicet an. 1258. Monialibus ingentia privilegia ad Monasterii collapsi readificationem contulit tamdiu usurpanda, donec 200. Marcarum Summo conficeretur. Archiduces Austriæ ab an. 1360. hujus Monasterii sunt Advocati et Tutores. q à fautoribus

3º Ehinga |: Ehingen :| Urbs exigua ad Danubium posita quinque circiter leucis gallicis ad Africum ab Ulmâ. Antiquissima est, neuon à quibusdam putatur esse Ptolomei Draeumma seu Draeuna.

In eâ extat insigne FF. Minorum Ordinis S. Francisci Discalceatorum seu Reformatorum provinciæ Tyrolensis Cœnobium; quibus an. 1638. traditum est Templum B.V. Mariæ Sacrum, in quo ejusdem B.V. miraculosa Statua lapidea extat, prœnes quod ipsi Cœnobium suum exstruxerunt. Benedictini Zwifaltenses etiam hic habent Collegium, in quo juventutem humaniora docent.

4º Munderkinga |: Mündrokingen :| Urbs aliquantùm munita ad ripam Danubii posita, milliari et paulò amplius ad Austrum ab Ehingâ. An. 1704. mense Majo Princeps Wirtembergius Alexander Gabos hanc urbem obsidentes abegit. In ea est Claustrum Monialium Tertiæ Ordinis S. Francisci sub directione

Franciscanorum Discalceatorum provincia Tyrolensis. Ibi an. 1460. initium dedêre binæ hujus Urbis Viduæ, quæ à mundanâ conversatione et rumoribus sæculi suâ sponte segregatæ plures juvenculas pari vitæ generis æmulas in consortium sum assumserunt, ac tandem ex Beginis Moniales factæ sunt, et tùm in privatis et propriis ædibus priùs vixissent, tandem an. 1686. ex iis Claustrum effecerunt.

5º Tarodunum |: Kirchlingen :| urbs exigua propè Danubium sita 2. leucis gallicis ad Occidentem à Lauingen plumario |: Kupferdruck :| PP: Capucini hîc habent Cœnobium, quod an. 1652. construi cœptum an. 1655. completum fuit. Adest etiam Claustrum Monialium Tertiariarum Ordinis S. Francisci an. 1420. fundatum pro quatuor duntaxat hujus Ordinis Sororibus, quæ successu temporis ad octo succrevêrunt.

6º Sulgovia seu Saulgovia |: Sülgau, Saülgau, Saülgau, Saülgau, Sulgau, et Sülkau :| Urbs angusta duabus leucis gallicis ad Austrum à Buchoviâ posita Diœcesis Constantiensis. Jam sæculo IX. proprios habuit Comites, quorum Insigne, si documentis Einsidlensibus fides, columna fuit, inter alia argumentum, Columnenses |: die Collonsser :| à Sulgoviensibus originem trahere. Postmodum urbs hæc ad Buchoviense Nobilium Virginum Collegium devoluta est, et abillo ad Domum Austriacam, quam ipsa unacum aliis locis Truchsessiis Waldburgensibus oppignoravit, servatâ tamen sibi supremâ in eam jurisdictione. Franciscani Discalceati Provinciæ Tyrolensis hîc habent Cœnobium quod an. 1663. construi cœptum, an. 1668. feliciter absolutum fuit. Sulgovia est Patria Sancti Meineradi Martyris.

7º Proximè Dominio Schalkingensi adjacet Ditio Justingensis Baronibus seu Comitibus de Freyberg propria, quam, quod nuper audivimus, ante annos aliquot Dux Wirtembergius ab ipsis emit.

Hîc occurrit Justingum Oppidum, à quo Ditio ipsa nomen trahit. Ei impendet Arx.

§. III.

De Comitatu Hohenbergensi.

Comitatus Hohenbergensis |: Die Grafschaft Hohenberg, Horsenberg, Horsamberg, Homberg, Hombrog, et Honberg :| ad Nicrum |: Neckar :| fluvium situs est; Dividitur in Superiorem et Inferiorem. Amb os interjacent Principatus Zollerans, et Balingense Territorium.

Comitatus iste olim proprios habuit Comites, qui Monasterii S. Galli Pincernæ fuerunt. circà an. 1371. titulo emtionis ad Domum Austriacam pervenit, ea quo Comites Hohenzollerenses Urbem et Ditionem Haigerlochensem permutationis titulo obtinuerunt.

Inferior Comitatus Ducatu Wirtembergico et Principatu Zollerano clauditur. Ejus Longitudo est 4. milliarium, Latitudo ferè trium. Hæc notatur

ibi Rottenburgum |: Rottenburg :| Urbs antiqua Caput Comitatus ad Sinistram Nicri ripam posita 2. milliariis versùs Occidentem à Tubingâ, et 3. ad Orientem ab Horbâ. Anno 1112. Sub Henrico Imperatore V. 3. Januarii Urbs hæc magno terræ motu et aquarum inundatione tota corruit ac perdita est. An. 1171. Albertus Comes Hohenbergensis denùs illam condidit.

In ea PP. Carmelitæ calceati Monasterium habent, quinque post Urbis restaurationem annis anno scilicet 1176. ab eodem Alberto Comite fundatum; in cujus Bibliotheca Martinus Crusius se an. 1595. vetus S. Scripturæ volumen à quadam Virgine eleganter et elimatè scriptum vidisse asserit. Adsunt etiam PP. Capucini ab an. 1622.

Anno 1648. Jesuitæ Rottenburgi Senatûs-consulto jus civitatis acceperunt, et facultatem sedem hîc figendi Collegiumque extruendi donatâ in finem istum à Senatu Armamentarii nuper incendio consumtâ aræâ et pomeriis, tum an. 1649. 25. februarii Tubingâ pulsi Patres isti huc migrarunt, et sibi Collegium excitârunt, in quo Humaniora, Logicam, et Theologiam moralem docent.

Rottenburgi antehac etiam duo fuêre. Virginum Coenobia, unum quidem ubi nunc PP. Societatis Jesu Ecclesia est, alterum verò ubi modò Urbis Ludus Litterarius extat. Unum an. 1495. sufforatum fuit, alterum in triginta annorum bella periisse conjectura est.

2°. Ehinga |: Ehingen :| Urbs angusta ad Tenteram Nicri ripam è regione Rottenburgi sita, et ei Statò super Nicrum pontè jungitur. Ad distinctionem alterius ejusdem nominis Urbis ad Danubium positæ et à nobis suprà expensæ Ehinga ad Nicrum communiter appellari solet.

Habet Ecclesiam Collegiatam honoribus SS: Mauritii Thebeæ Legionis Ducis et Martyris, et Remigii Episcopi Rhemensis fundatam circà an. Chr. 1320. à Comitibus Hohenbergensibus Rudolpho patre et filiis Alberto, Rudolpho et Hugone pro duodecim Canonicis et aliquot Vicariis. Adest etiam extrà muros Coenobium Virginum Tertii Ordinis S. Francisci an. 1520. fundari coeptum, quod Claustrum Superius |: der Obere Clauß| dicitur. Haud procul ab Urbe propè Nicrum Nidros aliæ in valle Rottenburgensi celebres occurrunt acidulæ.

3°. Horba |: Horb, vel Horw :| Urbs exigua et confragosa cum Castello ad Nicrum sita 2. et amplius milliaribus ad Africum à Rottenburgo. Olim Urbs ista tribus arcibus superbiebat, quarum una in foro, ubi nunc est Ecclesia; altera, quæ Herrenberga nuncupabatur propè Sacellum B. V. M. extabat; tertia denique suprà montem, qui S. Othilia dicitur posita Urbi impendebat.

In ea floret Canonicorum Sæcularium Collegium ab antiquis Comitibus Hohenbergensibus fundatum. Adest PP. Franciscanorum Discalceatorum Provinciæ Tyrolensis Coenobium an. 1665. excitatum in monte ad quem 130. gradibus ascenditur. Item Monialium Tertiæ Regulæ S. Francisci origine et antiquitate suâ facilè præcipuum, ut quæ, S. Francisco Seraphico adhuc in viris agente, initium dederint quæ jam Virgines, quæ mundum aversatæ simulque

in unum commorantes, et manuali opere victum sibi comparantes. Demum antedictam Tertiariarum Regulam ad partes Germaniæ nostræ primùm delatam amplexæ sunt.

Horbæ laneorum pannorum negotiatis exercetur, civésque satis commodè vivunt. Urbi Vineta adjacent, quæ misellum et perè acetosum vinum proferunt.

Superior Hohenbergensis Comitatus ad Septentrionem Ducatu Wirtembergensi, ad orientem, austrum, et occidentem Dominiis Fürstenbergijs plerumque clauditur. Ejus longitudo est octo milliarium, latitudo à Dutlingâ Urbe Wirtembergiâ Schrambergam usque quinque milliaria æquat. Notatur hîc

1º. Trimontium |: Tribrg :| Urbs exigua ad Gutaham |: Gütach :| inter nimiâ Sylvas fluvium in Hercinia Sylvâ posita milliari ad austrum ab Hornbergâ.

Ei imminet mons supra quem est Templum B. V. Mariæ Sacrum, et in quo reposita est miraculosa ejusdem B. V. effigies, ad quam undique fideles peregrinantur. Peregrinationem hanc administrant Presbyteri Sæculares sub uno Superiore, qui Director nuncupatur.

2º. Villinga |: Villingen :| Urbs aliquantum munita ad Herciniam Sylvam et propè Brigam |: Brieg, sive Brigach :| fluvium inter montes sita, 2. milliariis ad Septentrionem à fontibus Danubij.

Olim nonnisi vicus fuit, quem Bertholdus Zaringiæ Dux an. 1179. urbem fecisse dicitur. Stirpe Zaringensi extinctâ Urbs ad Comites Fürstenbergios pervenit; à quibus certâ quâdam pecuniæ summâ libertatem suam emit, ac postmodum se in tutelam Domûs Austriacæ tradidit, penes quam hactenus permansit.

In triginta annorum bello an. 1633. et 1634. gravissimam et diuturnam hostium sustinuit obsidionem, nec tamen illam obtinêre potuerunt. An. 1688. Gallis cessit. An. 1704. Tallardum Bellidecorem Gallum, qui illam obsedit, strenuè repulit. In ultimo Successionis Austriacæ Bello Galli eam no-

nine Caroli VII. Imperatoris Bavari occupârunt; at anno exacto, cum ubique ab Austriacis debellarentur, tormentis suis bellicis spoliatam deseruerunt.

Equites Melitenses in ea Domicilium, seu, ut vocant, Commendam habent primitiis ab Henrico Comite Furstenbergio, qui Urbi dominabatur, an. 1207. fundatam.

FF. Minores Ordinis S. Francisci Conventuales dicti hîc etiam Coenobium possident ab eôdem Comite Henrico aut ejus filio an. 1268. exstructum et dotatum. Jures Venerandi Patres hi Humaniora docent.

FF. Capuccini quoque hûc adsunt an. 1654. accîti, quorum primus illorum Coenobiô lapis eôdem anno positus fuit, structura verò ob supervenientes difficultates usque ad an. 1662. dilata, quo velut resumta fuit, et proximè sequenti anno studiosissimè propagata.

Monachi Sangeorgiani è suo Coenobio per Ducem Wirtembergicum unacum suo Abbate pulsi, quos jam alibi retulimus, hûc in Praeposituram suam se recepérunt; quam ante annos, dirutis veteribus aedificiis, in elegans Monasterium è fundamentis unacum magnifico templo erectum convertérunt. In eo quoque Humaniores et Sublimiores Litteras docent.

Adsunt etiam duo Monialium Coenobia Unum Ordinis S. Clarae, alterum Ordinis S. Dominici.

3o Rotevila, Rottvila |: Rotwil, Rotfwil, Rottwil:| Urbs libera et Imperialis, loco eminenti ad Nocari ripam nec procul ab ipsius fontibus 4z. milliaribus versùs aquilonem à Vilingâ. Vetus est, utque jam sub Rege Carolomanno Caroli Magni fratre steterit. Nomen habere dicitur à suo fundatore Rudolpho, atque Rudolphi Villa |: Rodolfs-wilr:| dicti debebat, ex quo nomine sucessu temporis per syllabarum mutilationem factum est Rodvilla |: Rodwilr:| et tandem Rotevila seu Rottvila |: Rotfwil:|

4 posita

Initio nonnisi Vicum fuisse ajunt ex alterâ Nocari parte situm, qui in hunc, ubi modò extat, locum translatus Urbs factus est. Munitiones ipsius ad ritum veterem sunt comparatae; nec non lata et profun-

dâ fossa circumdatæ. Populosa est, et satis ampla.

Imperialis Curiæ tribunal [:Dah Kayſerliche Hofgericht:] unicè ab Imperatore pendens nec ullatenus Imperio subjectum, quod in hac urbe residet, illam haud parùm spectabilem effecit. Num Suevius Imperator Conradus III. Cives, quòd eidem adversùs Imperatorem Lotharium II. fideliter et constanter adhæserint, remuneraturus illud circa an. 1146. erexerit, incertum omninò est. Extrà dubium est illud an. 1572. ab Imperatore Maximiliano II. solemni Diplomate per modum privilegii confirmatum fuisse; quod an. 1689. ab Imperatore Leopoldo I. et an. 1705. ab ejus filio Josepho innovatum fuit ac denuò confirmatum.

Nonnisi subordinatum est Judicium, à quo ad Cameram Imperialem, vel ad Consilium Imperiale Aulicum provocari potest: neque etiam illius jurisdictio ad universum Imperium dirigitur, verùm intra Suevium, Franconiam, Circulum Rhenanum Superiorem, et quasdam Austriacas in Suevià legiones coarctatur, à qua tamen multi Status, præsertim Austriaci, per specialia privilegia sunt exempti. Illud constituunt Judex Curiæ, quam dignitatem occupabant Comites Sulzii, quorum postquâ an. 1687. extinctâ Imperator Leopoldus I. illam Principi Schwarzenbergico ultimi Sulzii Comitis hæredi ac illius descendentibus contulit, qui loco sui Vice-Judicem constituit Comitem vel Baronem. Sub se habet tredecim Assessores partim Nobiles partim Urbis Senatores.

De hujus Tribunalis abrogatione Osnabrugi, ubi de pace Imperatorem inter et Regem Sueciæ an. 1644. tractari cœpit, actum est, quod negotium tamen ad Imperii Comitia remissum fuit, nec de eo amplius sive in Comitiis sive alibi ulla facta fuit mentio, quòd id haud opus fuerit; eminenti Tribunal istud nostrâ ab omnibus contemnitur, ac omni auctoritate nonnisi nomen et figuram Tribunalis retinet.

Rottvila inter alia privilegia ab Imperatoribus obtenta jus cudendi monetam auream et argenteam

ab Imperatore Maximiliano I. an. 1512. impetravit per Diploma eodem anno 18. februarii Norimbergæ ab ipso datum. Amplus et satis amœnus est ejus tractus multisque vicis dominatur.

Illam inter et Comites postea Duces Wirtembergios antehac graves vigûêre simultates. ac præcipuè Eberhardus primus Wirtembergiæ Dux eidem multum negotii facessivit; hinc, ut se adversùs ipsum tueri posset, an. 1463. fœderi Helvetico accessit, quod sine tamen suæ ergà Imperium subjectionis præjudicio an. 1519. in perpetuum innovavit. Anno 1477. grave prælium cum dicto Eberhardo iniit. Ipsius Successor Dux Ulricus hostilitates prosequutus an. 1507. illam obsedit; utrisque dein placuit armistitium, atque anno 1511. Tigurì lites eorum plenè compositæ fuerunt. In triginta annorum bello multis calamitatibus pressa fuit, cùmque anno 1632. Cæsareum præsidium recepisset, hostes cum fœdere Helvetiis privatam declarárunt, unde et à Wirtembergiis obsessa et oppugnata fuit, at demùm Cæsareorum facta est. Anno 1643. Bolemarchus Comes de Guebrian Gallici simul et Weimariensis exercitus Dux post binas obsidiones illam pactis conditionibus obtinuit, ubi et ipsemet occubuit; quamprimùm autem eodem anno Cæsareus Bellidux Joannes de Werth copias Weimarienses propè Butlingam profligaverat, tùm Rottvila ad Cæsareos rediit.

Rottvilæ Equestris Ordo Melitensis Domicilium seu Commendam satis pinguem possidet. Floret etiam ibidem PP. Dominicanorum Cœnobium an. 1282. ædificatum. Hîus Ecclesiæ Chorum exstruxit B. Albertus Magnus Episcopus Ratisbonensis. Adest etiam Monialium Ordinis S. Dominici Monasterium jam ante 300. et plures annos à duabus Matronis Comitibus, Hîgone, ut ajunt, Stemmate prognatis fundatum et ædificatum.

Capucini quoque an. 1623. hùc introducti fuêre, qui cum per aliquot annos in privatis ædibus demorati fuissent, tandem an. 1627. in area urbis mo-

nibus attiquâ. Conventum adificare coeperunt primo fundamenti lapide 2. Julii posito. Illum an. 1632. Wirtembergiæ copiis diruerunt; denique post promulgatam et stabilitam Monasteriensem et Osnabruggensem pacem, quæ Westphalica dicta est, Patres tres Capucini intrà urbis mœnia eo loco, ubi armamentarium fuerat, novum Cœnobium adificare coeperunt, quod an. 1655. 19. Septembris absolutum est.

Jesuitæ etiam in hac urbe habent Domicilium. Primùm in illam admissi fuerunt an. 1652. ubi cum per viginti circiter annos commorati fuissent, sed ob insperatam temporum iniquitatem congruâ sustantatione propemodùm exuti essent, vel invitis discesserunt. Eorum vice an. 1690. subintrârunt Benedictini, qui eòdem adhuc anno, quòd res eis ad vota non succederent, Stationem suam deseruerunt; tùm demùm expetiti Jesuitæ reditibus amplioribus instructi et uberiùs sitati an. 1692. redierunt, qui et isthic ad hanc usque diem feliciter subsistunt.

4° Monasterium Rubrum seu Rottenmünsterense |: Rottanmünstor :| aliàs Vallis B.V. Mariæ |: Marienthal :| dictum, Immediatum et Imperiale Cœnobium Monialium Ordinis Cisterciensis ad ripam Nidri et non procul ab ejus fontibus situm mediâ lauâ gallicâ versùs Austrum à Rottvilâ.

Quantum ad illius originem quidam autumant illud an. chr. 1126. ab Hemmâ Baronis de Wildenwerk conjuge fundatum; at valdè incertum est, num sacer hic ordo jam tunc in Germaniâ floruerit; undè verisimiliùs alii memorant Monasterium hoc à S. Willibergæ sub annum circiter 1221. fundatum fuisse, ipsamque in illo primam Abbatissam fuisse sub Honorio III. Papa et Friderico II. Imperatore.

Anno 1224. idem Papa Honorius propriis quodam diplomate illud in Specialem Sedis Apostolicæ protectionem suscepit: et an. 1237. laudatus Imperator Fridericus pariter illud in suam et Imperii tutelam assumsit, dato ad id 3. id. Julii ejusdem anni Spiræ solemni diplomate; cui plures succedentes Imperatores, aliique

Principes et Magnates aliàs quoque superaddiderunt libertates et immunitates, maximè verò Supremum Dominium territoriale, item jus gladii et forestis, p. quorum omnium jurium ad hanc usque diem quietam habet possessionem.

Anno 1660. Coenobium istud diutinis satis et tristissimo bellorum disturbis miserrimè devastatum et combustum denuò restaurari coepit, ac post trium annorum curriculum penitùs restitutum fuit.

5º Obernorffium |: Obrondorff :| Urbs angusta, aperta et populosa ad Nicrum sita duabus leucis gallicis ad Aquilonem à Rottwilâ. In ea extat Coenobium RR. PP. Eremitarum S. Augustini. Primitùs pro ejusdem Ordinis Monialibus ab antiquissimis Comitibus seu Ducibus Teutonicis, qui aetate Friderici I. Imperatoris florebant, fundatum fuit; quod tandem anno 1517. Anna de Veringen ultima illius Monialis Ordinis sui et provinciae viris tradidit, ipsa verò aliò translata est. Floret adhuc Coenobium istud, necnon praecipuis hujus Ordinis Monasteriis adnumeratur, in quo saepius Capitula provincialia celebrata fuêre. An. 1692. ab hostili gallorum incursione gravissimè fuit afflictum. Similes clades ac par damnum Urbs ipsa sustinuit.

6º Fridinga |: Fridingen :| Urbs exigua ad Danubium posita tribus ~~leucis gallicis ad~~ ~~mmm~~ milliariis ad orientem à Rottwilâ. Anno 1499. Helvetii in bello Suevico illam in cineres redegerunt.

7º Buronense seu Beyrense Monasterium |: Beuron :| celebre et quondam nobile Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Coenobium ad ripam Danubii in peramoenâ et fertili valle duobus vicinis montibus, quos inter ab occidente idem fluvius ~~pb~~ prolicit situm leucâ gallica versùs Septentrionem à Fridinga. Fundatum perhibetur anno Ch. 1000. à Peregrino Alemanniae Duce in honorem B. V. Mariae et Canonicis Regularibus Ordinis S. Augustini traditum. ~~Jam~~ Antiquitùs nonnisi praenobili stemmate

oriundi in illud sunipiebantur; nobi autem civis honestis parentibus nato patet aditus.

In hujus Superioris Hohenbergensis Comitatûs finibus versùs Danubium Situs est Baronatus Entzbergensis,

§. IV.

De Landgraviatu Nellenburgico.

Landgravitas Nellenburgicus |: Die Landgrafschafft Nellenburg seu Nellaburg :| ab Oriente, Septentrione et Occidente Principatu Fürstenbergio, et ad Meridiem Pago Scaffusiano et Episcopatu Constantiensi clauditur. Ejus longitudo à Tengâ Stockachium usque est Septem circiter Leucarum gallicarum, latitudo autem à Ratolficella usque ad Aehum est trium.

Olim proprios suos habuit Dominos, qui primùm Landgravii, posteà Comites Duntaxat Nellenburgenses et Tengenses vocati fuêre, jamque Caroli Magni aetate floruerunt. Horum prosapia defuit an. 1592. in personâ Christophori Ladislai Cathedralis Ecclesiae Argentinensis Canonici et Praepositi. Tum Maximilianus II. Imperator Landgraviatum hunc emtionis titulo Austriacae Domui suae adjecit, penes quam ad hanc usque diem permanet. Notatur hîc

1o. Nellenburgum |: Nellenburg :| Castrum ad Statu originem Ablaii |: Ablauf :| fluvii propè Stokachium Urbem positum. ab eo Landgraviatus nomen habet.

2o. Stokachium |: Stockach, Storchach, et Stockach :| Urbs parva ad ejusdem secum nominis fluvium in nonnihil edito colliculo sita 2. milliariis ad Aquilonem à Ratolfi-cellâ. Hortis frugiferis, arvis frumenti copiosè fecundis, silvis et potis cingitur. Caput est Landgraviatûs. In illa residet Tribunal provinciale, Dicasterium Austriacum, et Taberna seu Statio veredaria.

Hujus Urbis origo et conditor ignorantur; unde illam antiquam esse conjiciunt. Verisimile est Veteres et primos Nellenburgenses Landgravios, sicut Arcis Nellenburgensis ita et Urbis Stokachensis fuisse conditores.

Multa temporum fluxu perpessa est adversa. An.

1291. Albertus Austriacus Rudolphi I. Imperatoris filius, post profligatum Adolphum Imperatorem Nassoviensem, expugnatam juris sui fecit, quo tamen postmodùm ad proprium Sum Dominum rediit. An. 1499. à duodecim Helvetiorum militibus acri obsidione presta fuit, quos tamen milites præsidiarius et Cives sub Marchione Badensi illam Solvere coëgerunt: hujus Helvetiorum ab hac Urbe discessûs, qui in Octavâ festi Corporis Christi contigit, memoria quotannis Solemni et Eucharisticâ processione celebrari Solet, atque dies ista Helvetiorum feria nuncupatur. An. 1633. Sueci sub Gustavo Hornio Stokachii Statiua habuerunt; et Urbs hæc indè usque ad an. 1640. illorum et præsidio Duellensis [: Hohentwiel :] frequenter hinc inde prædatum grassantis ferocitatem et insolentiam continuò fuit experta; demùm hæc pestiferâ habitatoribus penè vacuata fuit. In Successionis Hispanicæ bello an. 1703. et 1704. præter exitiales eóque iteratos hostium transitus et direptiones, die 8. Junii an. 1704. tota in cineres redacta fuit, à quo exitio ne quidem elegans Ecclesia parochialis permansit exempta.

CC. Capucini post diuturnam tùm apud Episcopum Constantiensem, tùm apud Imperatorem, tùm demique in Curiâ Romanâ ab an. 1702. usque ad an. 1719. litem cum FF. Franciscanis Discalceatis, qui ibidem domicilium affectabant, agitatam tandem victoriam reportârunt, atque Stokachii Hospitium obtinuerunt; quod an. 1722. construi cœptum, an. 1723. absolutum fuit.

3°. Aichopolis seu Aichum [: Aich :] Urbs exigua cum Arce, lymphâ jucundum rotundumque montem sita 2. miliariis et semi ad Occidentem à Stokachio. De ea nihil occurrit dicendum.

4°. Tenga [: Tengen :] Urbs seu Oppidum in confiniis Comitatûs Barensis et Pagi Scaffusiani sita miliari versùs Austrum ab Enga.

5°. Ratolfi-Cella [: Rattolfszell :] Urbs ad lacum Bodamicum sita 2. miliariis ad Austrum à Stokachio. Ubi Constantiana Lutheranismos seu Zwingliänismus implevit, tum Cathedralis

:Ouis Eulesia Canonici, caterique omnes Eulesiastici unanum Consistorio Episcopali hûc se recepserunt.

§. V.

De provinciali Suevia Praefecturâ.

Provincialis Suevia Praefectura /: die Landvogtey Schwaben :/ Veteris Suevia Ducatûs reliquiæ. Limites habet ad Orientem Comitatum Waldburgensem, ad Septentrionem Comitatum Koenigseccensem et Principatum Fürstenbergium; ad Occidentem partem Episcopatûs Constantiensis et Lacum Acronium; et ad Austrum Comitatum Brigantinum. Maxima ejus longitudo est civiter 8. milliarium, latitudo quatuor. Oritur

1°. Poundum, Biterni Abbatia, seu Hortus floridus /: Baind seu Baindt :/ Immediatum Imperiale Monialium Ordinis Cisterciensis Monasterium, Diœcesis Constantiensis, leucâ gallicâ ad Septentrionem ab Altorffio ad vineas Suevicas oppido distitum. Fundatum dicitur an. 1241. à Conrado Vincena de Winterstetten, et ab ejus genero Conrado à Smalneck liberalissimè dotatum; qui cùm Friderici II. Imperatoris castra Semtus in Apuliâ proditorio interemtus fuisset, ejus uxor Irmengardis in eodem Coenobio Monacham induit, ac vitam piè finivit.

2°. Altorffium ad Vineas /: Altorff :/ Oppidum ad Schussium /: Schuss :/ flumen situm leucâ gallicâ ad Septentrionem à Ravensburgo. Vel indè celebratur, quòd olim famosis Comitibus et Principibus nomen dederit, è quibus Guelfi, et Comites Hohenzollerani, aliique præclaro familiæ traxerunt originem, et etiam quòd in eo Provinciale Suevicum Tribunal Sedem habeat.

In eo extat Fœminimum Franciscano Regulæ contubernium à Sororibus tertiariis inhabitatum, fundatum an. 1266. ab Hermanno de Breichtenweiler Imperialis Monasterii Weingartensis Abbate.

Tenuit Monasterium istud sub Spirituali cuvâ et Visitatione PP. CC. Conventualium Ordinis S.

Francisci usque ad an. 1525. tum enim pluribus Monialibus ex gremio demortuis, pauca, quæ superfuerunt, alias suffiere temporum iniquitate prohibita, fundationum et dotationum suarum litteris, pecuniis quoque et supellectili sacrâ et profanâ, item bonis immobilibus, utputà agris et vineis, Sanctari Altorffensi Magistratui in depositum bonâ fide traditis post sedatas belli procellas demùm recipiendis, sponte discessernt: cumque in suo exilio vitam finiissent, nec proinde redissent, idem Magistratus deposita penes se illarum bona sibi propria fecit, Monasteriumque in tabernam convertit: verùm an. 1573. auctoritate terræ Principis Ferdinandi Austriaci omnia restituere debuit, cùm priùs duæ Moniales Constantiâ ad capiendam Cœnobii hujus possessionem hùc acita fuissent.

Fuit et olim in hoc Oppido aliud Virginum Ordinis S. Benedicti Monasterium ab Henrico et Hattâ Principibus Allemanniæ Altorffii Comitibus ex potentissimâ Guelphorum Stirpe prognatis sub an. 910. fundatum, et à S. Conrado eorumdem filio et Episcopo Constantiensi liberaliter dotatum et completatum: quibus deinde an. 1047. ad Altonis Monasterium [:Alto=Münster:] in Superiori Bavariâ Diœcesis Frisingensis, quod modò Moniales Ordinis S. Birgittæ incolunt, translatis successerunt Benedictini, qui postmodùm Weingartenses dicti sunt à Suo, quod hodie adhuc incolunt, Monasterio, cujus historiam hîc breviter teximus.

3º Weingartum, Wingartum, seu Weingartense vel Ad vineas Monasterium [:Wringarten:] potentissimum, opulentissimum et ampliissimum Instituti Benedictini liberum ac Imperiale Monasterium, loco eminenti in extremitate Altorffensis Oppidi positum.

Illius hæc fertur origo an. 743. juxtà Mabillonium, vel an. 720. juxtà plerosque Scriptores Germanos S. Alto Scotiæ Regum sanguine natus Germaniæ et inprimis Lycationum* Apostolus Varum [:Far:] inter et Gelonum [: Glon seu Glan :] fluvios in Bavariâ Superiori Augustam Vindelicorum inter et Fri-

* Lycatii seu Lycates veteres in Vindelicia populi, prope Lyciam,

Singam 4. milliariis ad Orientem ab illâ, et 5. ad Occidentem ab istâ inter Silvas ac in tetris inhospitis Monachorum Cellam condidit, quam deinde Pipinus Childerici Francia Regis Major Domûs ac postea illius loco Francorum Rex factus an. 748. vel 750. amplia-
nunc Lycum [: Lorch :] fluvium sedes habuerunt, eorumque Metropolis Augusta fuit.
vit reditibúsque auxit, ac Monasterium fecit, illúsque primum Abbatem eundem S. Altonem constituit, à cujus nomine Altonis Monasterium [: Alto-Münster :] vocatum est. Illud postmodùm Isenbardus Nordgoviæ Dux et Comes Altorffensis prædiis auxit; ac simul in Oppido Altorffensi illud Monialium Benedictinarum Cœnobium, de quo supra diximus, condidit, quod Guelpho I. dotavit, ac postmodùm ab Hungaris devastatum illius nepos Henricus restauravit.
Tandem an. 1049. Guelpho II. factâ permutatione hujus Cœnobii Moniales in Altonis Monasterium transtulit, et earum loco ejusdem Altonis Monasterii Monachos Altorffium prædúxit atque in illarum Cœnobio collocavit; quòd ùm an. 1053. incendio periisset, Guelpho III. in proximum S. Martini montem seu Collem, ubi Regiam habuisse dicitur, transtulit, illúdque Vinearum [: Weingarten :] nomine insignivit. Postmodùm Imperator Henricus III. qui ab an. 1039. usque ad an. 1056. rebus Imperii præfuit, illud in suam et Imperii tutelam assumsit, et an. 1053. Immediatis Imperii Statibus annumeravit.
In triginta annorum bello an. 1632. et 1634. Sueci Monasterium istud occupárunt, atque satis inclementer habuerunt.
Cœnobium hoc præter fundatimis hæc prædia possidet ~~Waldkirchium Bearsfeldium Berentwangen, Hermannsperg, quam prædictæ Florenorum ab Equitibus Melitensibus emit~~ Item Comitatum seu Dominium Blumeneck in Comitatu Brigantino à Rudolpho Comite Sulzio 150000. florenorum pretio emtum.
4° Ravenspurgum, Ravespurgum [: Ravensburg :] Libera Imperii Urbs ad Schussium [: Schüss :] flumen in jucundâ et vinetis circumdatâ valle posita semi milliari et paulò amplius ad Austrum ab Altorffio.
Satis comoda est et mediocriter magna, vali-

disque ad antiquum ritum comparatis moenibus instructa.

Ætate Caroli Magni Sedes fuit Comitum Altorffensium, undè illam olim germanicè Grafenburg, idest, Comitis seu Comitum Castrum dictam fuisse à Castro, quod in monte S. Viti /: St. Veits-berg :/ collocatum ei impendet, et in quo Comites residerunt: undè quidam illius originem ita referunt; ajunt quippè ad hujus veteris Castri radicem extitisse vicum Germanicè Gravenau /: gravenaria :/ locus voluptarius Comitum /: der Grafen lüst-platz :/ dictum, ex quo deinde Urbs facta est, p.

Ex monumentis Monasterii Præmonstratensis Steingadi in Bavaria certum habetur Ravenspurgum olim municipalem civitatem fuisse Comitum Altorffensium, atque primùm circà an. 1100 moenibus cinctam fuisse, in eâque Fridericum I. Imperatorem cognomento Arobardum primam huic unram accepisse. Porrò libertatem suam Sæculo XIII. tempore Interregni asciscta est. An. 1311. Suevica Nobilitas hîc Troja ludum celebravit. In Civitatum Suevicarum bello anno 1389. illam Bavariæ Duces et illorum foederati obsederunt. An. 1646. Sueci illam occupaverunt et diripuerunt; anno sequenti Cæsareis cessit.

Urbs hæc multis privilegiis et immunitatibus à Rudolpho I. Imperatore Habspurgico et illius in Imperio successoribus donata fuit. Dominium Smalnacense possidet, quod à Comitibus Werdenbergensibus et Savo-Montanis emit. Cæterùm illius territorium satis angustum est, in quo Provincialis Austriaca Suevia Præfectura Summum habet Imperium.

Magistratus et Cives partim Catholici sunt partim Lutherani.

Ravenspurgi PP. Carmelitæ mitigati Cœnobium habent, quod nullo certo fundatore cœptum brevi tamen spontaneis multorum oblationibus adjutum et absolutum Patres isti an. Chr. 1349. intrârunt. Illius Ecclesiæ navem tenent Lutherani, Carmelitæ verò Chorum suntasat. PP. quoque Capucini hîc Conventum possident ab an. 1625. Adsunt etiam Moniales Tertiæ Regulæ S. Francisci ab anno 1400.

5°. Augia Alba seu Minor, item Veissenavia, Praelatura Weissenaviensis |: Weissnaw: vel Mindernaw:| Liberum et Imperiale, necnon magnificum Ordinis Praemonstratensis Coenobium Dioecesis Constantiensis ad Schussium |: Schuss:| fluviolum semilenâ gallicâ à Ravenspurgo dissitum.

Initio Sedes fuit piorum aliquot Eremitarum, quae an. 990. in Monasterium conversa fuit. Quod cum successu temporis penitùs collapsum fuisset Gebizo de Wisenburg Stirpis, ut quidam volunt, Habspurgicae, et Soror ejus Loicardis Henrici ex Arenhusen conjux illud anno 1145. restaurârunt, ac in Praeposituram Instituti Praemonstratensis converterunt, quae anno 1257. Abbatia facta est, et Henricus ultimus illius Praepositus primus abbatiali dignitate condecoratus est. Postmodùm an. 1282. à Rudolpho I. Imperatore Habspurgico ejusque conjuge Annâ Comitissâ Hohenbergensi, quae Basileae in Eccleriâ Cathedrali sepulta quievit, ita auctum et completatum fuit, ut Secundi illius fundatores meritò habeantur. Ad illius ampliationem alii adhuc Principes et Comites haud parva contulerunt. In elegantii hujus Monasterii Bibliothecâ praelari libri et Manuscripta celebris Adolphi Scuonis Medici Polyhistoris et Memmarii Augustani asservantur.

6°. Buchorna |: Büfforn vel Buffoorn :| Urbs vetus libera et Imperialis angusta quidem sed satis opulenta, ad ripam Lacûs Bodamici orientalem sita duabus circiter gallicis ad caurum à Langenargâ. Nomen suum Germanicum habere dicitur à Fagis |: Büchen :| eoquòd olim ibidem Faginetum fuerit.

Antiquitùs proprios suos Comites habuit, qui ab ipsius nomine Comites Buchornenses vocati sunt, quibus extinctis ad Comites Altorffenses et Ravenspurgenses pervenit; et ubi hi quoque defecerunt ab Imperatoribus libertate donata fuit ac Immediatis Imperii Urbibus ascensa.

Celebre est Emporium omnium mercium, quae à Sancto Gallo seu Helvetiâ Lacum advehuntur, ac ulteriùs in Sueviam vel indè denuò in Helvetiam revehuntur.

Urbs haec sub tutelâ et praesidio Urbis Uberlingensis degit. Ditioni Bomgartensi |: Bon-

gaston seu Baumgarten: | dominatur, ita tamen, ut Provinciales Suevica Praefectura supremum illius habeat Dominium. An. 1291. Episcopus Constantiensis illam obsedit et occupavit. an. 1363. unanum omnibus Ornamentis suis abiit in flammas. An. 1634. Sueci occupatam munierunt, at post praelium Nordlingense ultrò illam deseruerunt. An. 1738. mense Martio incendium passa est, quo Xenodochium, praecipua turris, Oedilatus unanum omnibus materiis, necnon aliquot civium Aedes in cineres ~~redacta~~ abierunt.

Magistratus et Cives ad unum Catholici sunt.

7°. Monasterium Hoffense | : Hoff : | Ordinis S. Benedicti ad Cattus Aconiae Lacûs positum Seminiliari ad Caurum à Buchorna. Fundatum perhibetur an. chr. 950. vel, ut alii volunt, 1090. pro Virginibus Benedictinis à Berthâ Guelphonis IV. Noricorum Ducis et Buchorni Principis germanâ sorore. Illud postea Sc. an. chr. 1130. Guelpho VI. Monasterio Weingartensi subjecit, et Chunoni de Thann illius Abbati tradidit. Tandem an. 1420. Monialibus Weingartenses Monachi successerunt, quod ad hanc usque diem possident. Ante annos veteri dicto Monasterio novum è fundamento unanum Ecclesiâ exitatum est.

8°. Vasserburgum seu Wasserburgum | : Wasserburg : | Urbs exigua unanum arce ad orientalem Lacûs Aconii ripam sita Lindaviam inter et Langenargam, ab hac ad Orientem et abillâ ad Occidentem milliari distans. Comitum Montfortensium fuit, à quibus ad Fuggeros pervenit; modò titulo emtionis est Imperatoris Francisci I. feliciter regnantis.

9°. Vanga, Vangena, Vemania, Viana, Vimania, et Wanga | : Wangun : | Libera Imperii Urbs ad Superiorem Arcum | : Ober-Aargau seu Aare : | fluvium, loco eminenti posita tribus Leucis gallicis ad Occidentem ab Isna, et quatuor ad Aquilonem à Lindaviâ. Satis angusta est, in eâque merentur videri Ecclesia S. Martini, et Xenodochium, necnon Praetorium seu Basilica Civilis. PP. Capu-

cini hîc etiam Conventum habent ab an. 1654. Cives omnes sunt Catholici. Hîc elegans charta veredaria, linteum, sericum aliaque ferramenta confiiuntur, quibus meribus Cives uberrimum quaestum faciunt.

10°. Isna | : Hsny, Isni, Hsn, Hsnaw, Cisna, Cisn, Cisny, Cisn, Hsnt, Hsni : | urbs ad ejusdem fluvii nomini vicinum sita 3. milliaribus ad Austrum à Leutkircho.

Quidam nomen ejus à Deâ Iside, quae antiquitùs hîc culta fuisse dicitur, alii verò communiter ab Isna fluviolo proximè ad eam scaturiente et illius muros adeunte derivant. Quantum ad ejus originem conjectura est illam à Romanis exitatam fuisse, quod varia Inscriptiones, nummi, et alia Romanorum monumenta probare videntur.

Olim Urbi huic dominati sunt Comites de Veringen et Nellenburg, à quibus Joanni Dapifero de Waldburg unanum territorio Trauchburgensi pro 190. marcis argenteis vendita fuit, à cujus Nepote Ottone Dapifero de Waldburg an. 1365. ipsa libertatem suam pro 9000. libris probatorum obolorum emit, ac eodem anno ab Imperatore Carolo IV. liberis Imperii civitatibus annumerata fuit.

Olim admodùm splendida fuit, et ea propter Minor Augusta dicta est; verùm frequentia, quibus afflicta fuit, incendia splendore suo illam prenè dejecerunt: enimverò an. 1084. tota in cineres abiit. an. 1401. media illius pars, et an. 1631. tres quadrantes ~~duas proximorum~~ in fumum abierunt; tandem primùm an. 1721. binis consecutivis incendiis penè tota periit. Olim frequentissimum in ea fuit lintei commercium. Magistratus et Cives Lutheranismum sectantur.

Intrà illius muros continetur celebre liberum et Imperiale Ordinis S. Benedicti Coenobium à Manegoldo ejusque filiis Walthero et Wolfrado Veringensibus Comitibus an. 1096. sub Pontificatu Urbani Papæ II. et Imperatore Henrico V. fundatum; cujus primus Abbas S. Mangoldus eodem anno constitutus fuit; hic cum Monachos suos in omni

vita sanctitate instrueret, et sub regularis disciplinæ rigore coerceret, ab impio et ingrato quodam Discipulo paternas illius asperuante monitiones crudelitèr occisus illustrem Martyrii coronam promeruit.

Comites Dapiferi de Waldburg ~~illius~~ hujus Monasterii gerunt Advocatiam, simulque Supremum in illud Dominium pertendunt sub obtentu, quòd quidem Otto Comes Waldburgensis an. 1365. Urbi sub certis quibusdam conditionibus à Suo et Suorum Successorum dominio exemerit, minimè autem Monasterium ipsum; quæ de re lis indecisa penes Judicem adhuc pendet; interim Monasterium suâ libertate fruitur, atque inter Libera et immediata Imperii Cœnobia recensetur.

11°. Eglofense Territorium |: Egloff vel Egloffd :| Liber Tractus Jsnæ Urbi versùs Caurum contiguus, cujus longitudo est 2. Leucarum Gallicarum, et latitudo totidem, et ad Comites de Traun Mesmerica prosapiæ |: Mossmüssser linie :| pertinens: inter quos Ernestus, postquam ad Comitis dignitatem saculo præterito evectus fuit, illum à Domo Austriacâ pro 30000. florenorum emit.

12°. Lindavia, Lindoa, Lindona, Lindangia, Lindovia, Lindavium, Lintangia, et Phylira |: Lindaü, Lindaw, Lindow, Liandow, Lintaü, Lintawa, et Lintowa :| Urbs Libera Imperialis Lutheranismo addicta, in Lacûs Botanici Insulâ quæ 290. passuum ponte continenti jungitur, sita milliari ad Occidentem à Wasserburgo, sub grad. Long. 29. m. 28. Lat. 47. m. 28. Ex una parte, ut jam dictum, 290. passuum ponte continenti jungitur, ex alterâ verò Lacûs Botanici ramus totam secat Insulam, atque novam efficit, quæ ab Incolis specialiter Insula vocatur; eam Piscatores, Nautæ, et Textores incolunt, reenon vinea et horti decorant: proprio muro cingitur, et ab ea ad Urbem ope duorum pontium patet aditus, ob id Lindavia Venetiæ Sueviæ nunquam parì solet.

Nomen illius Germanicum quidam derivant à Tiliis |: Linden :| quæ olim hîc affatim enatarunt. Illius exordia satis sunt incerta: conjicere ta-

non licet ipsam Insulam illam esse, in qua Tiberius Augusti Imperatoris Gener Castra habuit, et undè naves ipsius in Vindelicos exiverunt: hujus fidem facere videntur Castrum et muros Ethnicus dictus, qua antiqua et valida sunt ædificia, ac primò intuitu veteris cujusdam Romanorum monumenti reliquias exhibent. Postquam autem Francii Romanos Sueviâ expulerunt, deserta et incolis vacua permansit usque ad an. circiter 810. quo ab Adelberto Comite de Rohrbach Imperatoris Caroli Magni consanguineo et Rhetiæ Præfecto in ea civitatum fuit Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti Cœnobium, ad quod deinde multi alundè adventantes sibi in eadem Insula domos construxerunt, quæ successu temporis ita crevêrunt, ut Comes ex Vico circà an. 1066. Urbs factus sit.

Comitibus Brigantinis subjecta fuit, à quibus postmodùm libertatem suam emit, undè, conjiciunt aliqui illam jam tunc liberam et immediatam Imperii urbem factam fuisse. Varia, eaque præclara, sequentibus temporibus obtinuit ab Imperatoribus privilegia.

Anno 1264. penè incendio periit, pari infortunio afflicta fuit an. 1347. et an. 1720. triginta civium Domus unacum Armamentario in cineres redacta fuerunt; ~~prostrata Hereasanum Sueviæ Do~~ Anno 1496. Lindaviæ Imperii Comitia fuêre celebrata, in quibus Imperialis Camera Tribunalis ordo constitutus est. An. 1647. Sueci urbem hanc novem hebdomadum spatio frustrà obsedêrunt. In Successionis Hispanicæ bello Galli quoque eidem oculum adjecêre.

Lindavia salubris spirat aura, pulchris ædificiis decoratur, estque celebre Emporium, optimique vini exteri æquè ac indigenitalis commercium exercet. Extrà muros versùs Aquilonem occurrunt agri, viireta, horti, vineta, multique vici, quibus ipsa dominatur. Anno circiter 1529. Lutheranismum amplexa est.

Fuit olim Lindaviæ Cœnobium FF. Minorum Ordinis S. Francisci ab ipsissimat primis S. Seraphici Patris adhuc vivantis Discipulis à Tridento in Sueviam

latis apparatum an. 1241. Amodò integrum adhuc extat sed religiosis vacuum, ut quos Lutheranismus expulit.

Fuit et Franciscana disciplina foemininum Contubernium an. 1270. fundatum, ut et aliud Monialium Coenobium eodem an. 1270. vel 1272. excitatum, quae itidem Lutheranismus pessumdedit. CC. Capucini extra muros etiam habuêre Domicilium ab an. 1624. usque ad an. 1649. tùm enim, urbe vi pacis Westphalicae pristino juri suo redditâ, plebs tumultuosa ex urbe prolapsa illud diripuit et funditùs evertit, ac solo aequavit. Demum CC. Societatis Jesu etiam aliquanto tempore, nempè quandiu in câ praesidium militare Austriacum fuit, in hac urbe residentiam, seu, ut vocant, Missionem habuêre; ubi autem vi pacis Westphalicae praesidium hoc illam deserere debuit, tùm et CC. hi unanimo ilo, ut qui alio titulo ibi non erant, recesserunt.

Lindavia tamen adhuc subsistit Nobilissimum et Principale, necnon Liberum et Immediatum Imperiale Virginum Collegium, quod maiori, quàm recensita Monasteria, sorte et constantiâ veteres Catholicae religionis ritus et sacra, contrà vim et insidias Civium Lutheranismo devotorum, ad hanc usque diem retinuit.

Ei praest Abbatissa sacris et consuetis Ecclesiae ritibus initiari solita, quae inter Liberos ac Immediatos Imperii Status et Ecclesiasticos Circuli Sueviici Principes Suffragium habet. Ipsa sola, prout in similibus praenobilium Virginum Collegiis in more positum est, Stabilitatis et continentiae voto tenetur; reliquae autem Virgines, quas antiqua et probatae nobilitatis titulo commendatas |: nec enim aliis aditus patet :| sibi subditas habet, cùm libuerit, indè recedere possunt, et ad digna suo gradu connubia transire.

Fundator ejus fuisse circà an. 810. dicitur Adalbertus Comes de Rohrbach Imperatoris Caroli M. consanguineus et Rhetiae Praefectus, quod jam supràmemoravimus. Hac autem fundationis hujus occasio fuit: cùm Comes hic in Acronio Lacu periculosâ tempestate jactatus vocatâ in opem SSmâ Dei Matre

incolumis in hujus Insulæ littus ejectus esset, non in deserto et inculto loco hoc Deiparæ Ecclesiam et Suevum Asceterium ædificavit pro Sanctimonialibus Benedictinis atque Landaviam |: Landau :| à voce germanicâ Länden nuncupavit; ex quo tandem Lindavia |: Lindau :| factum est. Illud post à Ludovico Pio, qui ab an. 814. usque ad 848. Imperii clavum tenuit, vel, ut alii volunt, à Ludovico II. qui ab an. 855. usque ad an. 875. Imperator fuit, an. 866. vel 869. confirmatum fuisse dicitur.

Crebra, quæ in eo loco Dei Mater in devotos sibi clientes contulit, beneficia, nonnisi à aliunde adventantium magna exciverunt agmina, sed eos impulerunt, ut stabiles sibi in câ Insulâ ad arcendam quoque hostium, præsertim Hungarorum, qui tunc Sueviam devastabant, et prædonum vim parquàm opportunas sedes deligerent, sic ut Successu temporis Urbs exurrexerit, quæ eodem ac Asceterium nomine insignita fuit, et quam Nos primùm descripsimus.

Ab anno igitur 810. usque ad ætatem Alexandri Papæ IV. qui ab an. 1254. usque ad an. 1261. pontificatum gessit, Institutum Benedictinum in hoc Asceterio viguit; at sub ejus Successore Urbano IV. relicto priori Instituto Regulam S. Augustini amplexæ sunt Nobiles hæ Virgines: quibus vero causis, quave occasione vivendi rationem immutârint, temporum et variorum eventuum injuriâ transiit in oblivionem. Tandem exuto omni Regularis observantiæ jugo Canonissæ sæculares factæ sunt: rei tamen divinæ ac Psalmodiæ quotidianam dant operam, et ad omnem honestatem suoque respondentes Sexui artes ac œconomicam solertiam edocentur.

§. VI.

De Comitatu Brigantino.

Comitatus Brigantinus |: die Grafschaft Borgantz seu Forgentz :| aliquot completitur minores Comitatus, nempè Hohenembsiensem, Vallis Dulcensem et Scheidenbergensem, Blumeneggensem, Montfor-

tensem, VeldKirchensem, et Sonnenbergensem. Tres priores liberi sunt, et Imperio immediatè subjecti.

Ejus longitudo à Septentrione ad Austrum est fermè 13. milliarium, Latitudo ab Occidente ad Orientem 7. Limites habet ad Orientem Episcopatum Augustanum et Tyrolim; ad Austrum Rhatiam seu Grisones; ad Occidentem Rhenum et Lacum Constantiensem; ad Septentrionem Provincialem Sueviæ Præfecturam et Comitatum Koenigseck-Rotenfelsensem. Excelsi in eo ocurrunt montes præsertim versùs Orientem.

Antiquitùs eidem Spectabiles dominati sunt Comites, qui in Suevia et Helvetia admodùm potentes fuerunt, quorum origo eadem fuit ac Comitum Montfortensium. ab his ad Comites Pfullendorffenses, tùm initio Sæculi XIII. ad Comites Montfortenses pervenit. Wilhelmus Marchio Hohenbergensis ductâ in matrimonium Elisabethâ natâ Comitissâ de Montfort partem hujus Comitatûs obtinuit, quam circà ann. 1450. Sigismundo Austriaco vendidit. Denique an. 1525. Hugo Comes de Montfort Archiduci Ferdinando reliquam partem pro certâ pecunia Summâ reliquit, sicque totus ad Domum Austriacam transiit, penes quam ad hanc usque diem remanet. Occurrit hic

j.ò Brigantia, Bregentium /: Bregnutz :/ totius Comitatûs Metropolis ad Lacum Constantiensem, qui ibidem Brigantinus vocatur, sita, milliari versùs Orientem à Lindaviâ. In monte excelso seu præcipito sano colorata admodùm angusta est, ac potiùs Arcem quandam quàm Urbem exhibet; verùm ad montis radicas et juxtà Lacum extat amplissimum et elegans Suburbium. Basalti ac præcipiti montes, et Lacus, quibus cingitur ad eam aditum angustissimum sicque munitam efficiunt.

Creditur esse Strabonis Brigantium, et Antonini Brigantia. Nomen à veteribus Brigantiis, qui olim in hac plagâ dominati sunt, eâmque excitârunt accepit. Jam ætate T. Antonini ipsa extitit, præsidiumque Romanum habuit adversùs Alemannos.

An. Ch. 631. S. Gallus hic Evangelium prædicavit. An. 948. Hermannus Sueviæ Dux ope

Ottonis I. Imperatoris Castrum Brigantinum occupavit. an. 1079. Ulricus III. Abbas Sangallensis Urbem hanc subegit et incendit. An. 1407. Abbatiszellenses et San-gallenses illam à 9. novemb. usque ad 13. Januarii sequentis anni obsedenunt, ubi à Comitibus Brigantino, Montfortensi, Wardenbergensi, Savomontano, et aliis Sueviæ et Societatis S. Georgii Nobilibus profligati, obsidionem solverunt. An. 1531. grave incendii damnum perpessa est. An. 1646. Suevi eam occupârunt et expilârunt, ac quadrageries centenorum millium florenorum prædam egerunt. An. 1744. mense Octobri in Successionis Austriacæ bello Gallo sub Principe de Clermont illam terrâ marique adorti sunt, verùm ab incolis strenuè se defendentibus repulsam passi sunt.

Vineta habet vinum satis exquisitum proferentia.

Brigantia PP. Capucini habent Conventum ab an. 1639. propriùs eidem Urbi inter montes etiam adjacent bina Sanctimonialium Ordinis S. Francisci Monasteria, quorum unum S. Annæ, alterum Thalbaense nuncupantur.

2do Augia Major |: Mehrerau :| Perelebre Ordinis S. Benedicti Monasterium semileucâ gallicâ ad austrum à Brigantiâ ad ripam Lacûs Arvonii, ubi Bregans amnis in illum influit, amoenissimo loco situm. aliàs etiam Augia Brigantina, sive Monasterium Brigantinum nuncupari solet.

Quidam illud Monasterio San-gallensi antiquius esse autumant, eoquòd non procul indè in montanis S. Galli Oratorium seu Sacellum monstretur humile et exiguum ædificium.

Primus hûc appulisse dicitur S. Columbanus, qui ob impurum Theoderici Burgundiæ Regis concubinatum incessanter redarguitum impia Brunechildis et Aulicorum factionibus à suis Luxoviensi Monasterio pulsus ad Theodebertum Austrasiorum Regem se contulit, à quo benignè susceptus facultatem obtinuit intrà sui regni terminos habitationem sibi deligendi, tùmque unacum SS. Gallo, Magno et aliis quibusdam Sociis feliciter hûc venit, et ad normam

Luxoviensis Monasterium condidit in eo cum Discipulis
Suis perpetuò permansuras, atque proximorum Saluti in-
vigilaturus. At quo magis ipse et ejus comilitones
animabus Deo lucrandis inundabant, eò majus et veluti
rationum ~~divinum~~ ac implacabile prorsus in se con-
citarunt Idolatrarum Brigantinorum odium,
quod eo usque exuevit, ut à Gunzone Suevorum Duce
tunc temporis Uberlingæ residente mandatum obti-
nuerint, quo ipse et Socii Solum vertere et Sedibus fu-
is cedere jubebantur. Igitur S. Columbanus eorum
furori ~~cedens~~, postquam ibidem per triennium cum
Discipulis Suis demoratus fuisset, cedere coactus Ita-
liam versùs an. Chr. 613. ad Agilulphum Longobardo-
rum Regem iter arripuit. S. Gallum verò repentinâ
febri invasum ibidem reliquit adjunctis ipsi in Solati-
um et morbi ~~labores~~ levamen Magnoaldo et Theo-
doro Monachis; quibusnam sive Barbaros pertæsus, sive
de corporali Sanitate Sollicitus Arbonam se contulit, in-
deque ~~evocatus~~ evocatus à Fridaburgâ memorati Gun-
zonis filiâ Spiritum nequam expulit; unde Duris gratiam
consecutus fuisse, necnon Monachos aliquot ex in loco,
à quo priùs ipse cum Columbano ac Sociis ejectus fuerat,
iterum collocasse creditur. Tandem postquam verbo et
exemplo omnem idolorum cultum à Brigantinis
eliminasset, Arbonæ Supremum diem obiit.

Collapsum dein temporum injuriâ Brigantinum
Monasterium Udalricus Rhætiorum et Brigantiæ
Comes an. 1098. denuò restauravit, et religioso-
rum virorum Coloniam ex Asceterio Petrusiano
Deruntam in eo constituit. Illud an. Chr. 1102.
Rudolphus Comes à Pfullendorff laudati Udalrici
Nepos ita liberaliter dotavit, ut à Monachis Secun-
dus eorum fundator prædicetur. Cumque
postmodùm iterum abiisset in deterius, B. Wil-
helmus Abbas Hirsaugiensis, qui ab an. 1169. us-
que ad an. 1191. Monasterio Suo Sanctissimè præ-
fuit, Gotfridum cum aliquot Monachis illuc mi-
sit, qui Sub Abbatis titulo eundem locum in utroque
Statu corrigens ac reformans consuetudines regularis
observantiæ ibidem laudabiliter plantavit, quæ
adhuc ibidem præclarissimè vigent.

3ò Comitatus Hohenembsiensis |: Die Grafschaft Hohenembs :| Imperio immediatè subjicitur. Situs est in valle Rhenanâ |: Rheinthal :| versùs Rhætiam seu Grisones, urbis Brigantinæ tractum inter et Comitatum Montfortensem juxtà Rhenum. Ejus longitudo ab Oriente ad Occidentem ad duo miliaria unum dimidio porrigitur, latitudo autem à Septentrione ad Meridiem unum miliare æquat. Occurrit Embsium, seu Amisum |: Embs :| elegans oppidum ad præalti montis radices situm 2. miliariis ad Austrum à Brigantiâ. Illud magnificum palatium, pretiosum vivarium, ampla piscina, et vivina thermæ famosum satis efficiunt. Eidem imminent bina castra munitissima in apice præcipiti montis collocata, quorum unum vetus, alterum novum Amisum seu Hohenembsium vocantur. Vetus indè celebratur, quòd Imperator Henricus VI. Wilhelmum Tancredi filium unamum aliquot Nobilibus an. 1194. Neapoli captum huic castro, effossis priùs, quod ajunt, oculis, incluserit, ubi et vitam unamum sociis suis posuit.

4ò Comitatus Montfortensis |: Die Grafschaft Montfort :| De illo suprà Sect. VIII. §. III. disseruimus; nec iis, quæ ibidem circà illum retulimus, nihil occurrit addendum, nisi quòd à castro ~~[illegible]~~ quod Monsfortis seu Montfortium dictus, Amisum seu Embsium inter et Veldkirchum in monte positum, nomen habeat.

5ò Comitatus Veldkirchensis |: Die Grafschaft Veldkirch :| ad Orientem confinis est Comitatui Blumenaccensi, ad Austrum Comitatui Vadisiensi et Schellenbergio, ad Occidentem Rheno, et ad Septentrionem Comitatui Montfortensi.

In hac orâ Drusus Romanorum Belidux Rhætos impugnavit, undè Regio hæc à Rheno ad Illam |: Ill :| fluvium usque Vallis Drusiana vocata fuit.

Comites Veldkirchenses posteri fuêre priscorum Montfortensium Comitum, qui jam sæculo IX. flo-

nerunt: volunt tamen aliqui eos non primos fuisse Veld-
kirchienses Comites, sed jam diu ante ipsos aliùs prosa-
pia Comites huic regioni dominatos fuisse. ~~Incerta~~
~~an. 1376. Rudolphus Comes prosapia sua ultimus et~~
~~improles Comitatum hunc Leopoldo II. Austriaco pro~~
~~36000. florenorum summâ vendidit. An. 1417. Comi-~~
~~ti Toggenburgensi oppignoratus fuit, et an. 1436. de-~~
~~nuò redemtus.~~ Ita ea notatur

Velcurium, Tranopolis, et Veldkirchia |: Vold-
burg, Woldburgum, Foldburgum, Foldburg :| an-
qua, comta et quaestuosa urbs ad Illam |: Ill :| fluvium
posita milliari ad austrum à Montfortio, et duobus à
Brigantiâ, sub grad. long. 31. m. 58. lat. 46. m. 48. Ca-
put Comitatûs, cui et nomen tribuit, Dioceseos Curien-
sis. Romani eam Valcurium dixerunt, quòd in
valle montibus undique circumdatâ jaceat. Vete-
res Rhati illam Campum |: Feld :| vocavêre, necnon
traditio est, Incolas, ubi Christianam religionem am-
plexi sunt, hoc loco Templum in honorem S. Petri
aedificasse, urbemque suam Campi Templum |: Feld-
burg :| nuncupasse. Creditur Metropolis fuisse
Istaevonum seu Esthionum Germaniae populorum,
qui olim ad Rhenum Sedes habuisse dicuntur, undè
postmodùm pulsi in Livoniam usque commigra-
runt.

Ad latus meridionale ei impendet vetus et muni-
tum Castellum in colle positum Schattenburgum
|: Schattenburg :| dictum, olim Comitum Montforten-
sium Sedes, ad cujus pedem praecipui Cives, et qui quae-
stum à Comitibus capiebant, ~~illi magnatum appropriati~~,
relictâ veteri urbe, aedes construere coeperunt, novam-
que urbem fundârunt. Quod veteris urbis residuum
est, Urbs vetus |: Alt-Stadt :| vocatur, atque 1500.
passibus ad Caurum à novâ distat.

In hac veteri urbe extat Sanctimonialium Ordi-
nis S. Dominici Monasterium praeclarissimè res-
tauratum et amplificatum. De eo constat olim
350. Moniales illud inoluisse. Fundator illius igno-
ratur. In hoc Coenobio an. 1710. Processus Cano-
nizationis seu Beatificationis Venerabilis Servi Dei
Fidelis Capucini jam olim an. 1622. sub Urbano

VIII. Papa reassumtus, et tandem an. 1729. à Papâ Benedicto XIII. finitus, ipsique Fidelis inter Beatos relatus fuit.

In nova Urbe extat Ordinis S. Benedicti Domicilium, antehac Equitum Melitensium Beneficium, seu, ut vocant, Commenda an. 1218. ab Hugone Comite de Montfort sub Imperatore Friderico II. munificenter fundata, quae an. 1611. Abbati et Conventui ad Vineas [: Weingarten :] 62000. florenorum pretio cum omnibus possessionibus suis venit; et ab his sub finem praeteriti Saeculi, scilicet an. 1696. Ottenburano Ordinis S. Benedicti Monasterio iterum divendita fuit.

Patres Societatis Jesu etiam hîc habent Collegium parochiali Ecclesiae contiguum an. 1649. fundatum et aedificatum. Ordo hîc modo non amplius extat.

Extrà muros quoque adest PP. Capucinorum Coenobium ab an. 1605. quod unanum cum Templo absolutum, et die S. Andreae Apostolo Sacrâ Solemni ritu dedicatum fuit ab Episcopo Curiensi. In eo Guardianus fuit B. Fidelis Sigmaringanus, qui apud Grisones Missionarium agens à fraudentibus Calvinistis in Catholicae Religionis odium sub initium praeteriti Saeculi trucidatus fuit. Illius Caput ibidem in Sacello adejus honorem aedificato et publicae populi fidelis devotioni exposito asservatur.

6°. Mons S. Victoris [: Pf. Victorb=Berg :] In hoc monte duabus Cenis gallicis versùs Montfortium Castrum à Veldkirchiâ disito extat Monasterium PP. Conventualium Ordinis S. Francisci. Monasterio huic originem dedit vita et mors S. Eusebii Martyris, qui natione Scotus, genere nobilis, professione Monachus San-Gallensis, de licentiâ Abbatis sui Monasterium egressus amore vitae solitariae in hunc montem secessit, ac ibidem annos triginta transegit. Subinde adorrigendos insulti populi mores in subjectam regionem descendere solitus laboris sui meritedem tulit an. 884. falce foenariâ, cùm rustici cujusdam impietatem redarguaret, truncatus capite. Quando autem memorati PP. Conventuales in hoc monte Domicilium obtinuerint, id nobis est ignotum. Certè memoriâ proditum est, antiquitùs locum hunc ad Monachos San=gallenses pertinuisse.

7°. Vallis Bezaviensis [: Thal Bezau :] Inter-

altissimos montes et rupes sita est; neenon etiam Interior Silva Brigantina nuncupatur. Nos illam Bezavionsem vocamus à Bezavio omnium totius valdis seu Silvæ Pagorum principe, et quasi metitulio.

Valdis hæc versus Occidentem Territorium Brigantinum, Anisinensemque seu Embrium contingit; versus Orientem ad Tyrolim; versus Meridiem Nebelgojam* et Helvetiam; versus Aquilonem autem Wangam Spectat; quamvis ab his, aliisque finitimis ditionibus immanibus jugis, et montibus Distorminetur, et velut inludatur. Toparchia Veldkirchensi tota hæc Valdis seu Sylva cum Insulis incorporata est; jura tamen municipalia proprio, et privilegia insignia possidet; ita ut Prætorem Suum, quem Landammannum vocant, tanquam Caput Suum liberè deligat; et quidem ritu vix alibi usitato: Veldkirchio namque illius Toparchiæ Officiales Austriaci advenientes pro parte Serenissimi Dominatûs quatuor ex tota valle vivos denominant; à quibus Valdicolæ unum in Landammannum hoc ordine creant: Statuuntur quatuor Denominati ad quatuor diversa loca subdio, tunc dato Signo Singuli ibidem congregati Valdicolæ currunt, quilibet ad eum, quem Landammannum habere cupit: qui igitur majori currentium cumulo circumdatus deprehenditur, hic tanquam Suffragiorum pluritate electus salutatur Landammannus; cui etiam quatuor Senatores à Popularibus adjunguntur; penes quos proindè Oligarchia, et Summa rerum gubernandarum potestas residet; ita, ut jure gladii utentes etiam de gravissimis delictis Sententiam ferant, et exequantur. Incertum unde, quamdiu jam, quibusve mentis hoc Diasterio potiti fuerint.

In hujus Sylvæ seu Valdis principe Pago Patres Capucini Cœnobium habent ab an. 1655. quod ipsius Pagi nomine Bezavium dicitur.

8° Comitatus seu Ditio Blumeneccensis |: Die Grafschaft Blumenegg :| Veldkirchiensi ad orientem Sita est. Olim proprios habuit Dominos, qui abeâ nomen habuerunt: iis extinctis Comites de Werdenberg illam possederunt, ab his ad Comites de

* Nebelgojam |: Nebelgow :| Districtûs in Comitatu Veldkirchensi in confiniis Helvetiæ.

Brandeis pervenit, postmodùm Comites Sulzii eâ potiti sunt, inter quos Rudolphus an. 1613. eandem cum omnibus ad illam pertinentibus Monasterio ad Vineas |: Weingarten :| Sub Abbate Georgio pro summa 150000. florenorum in perpetuum vendidit. Nomen habet à Castro, quod duobus ferè milliariis versùs Orientem à Veldkirchiâ disitum est.

9°. Vallis Dulcis |: Wadütz, Waldutz :| Comitatus in valle Rhenanâ et confiniis Rhatiæ seu Grisonum sita Veldkirchensi Comitatui ad Austrum positus.

Sæculo XV. Barones de Schellenberg illum Comitibus de Brandeis vendiderunt, qui postmodùm una cum junto Dominio Schellenbergensi an. 1507. per matrimonium ad Comites Sulzios pervenit. An. 1613. Caspar Comes Hohenembsiensis emtionis titulo Comitatum hunc adeptus est: tandem an. 1699. pari titulo Josephi Principis de Lichtenstein factus ~~fuit~~ fuit. Hîc nihil notandum occurrit præter ejusdem nominis Castrum in saxo positum et vico impendens, duobus milliariis ad Austrum à Veldkirchiâ disitum, antehac Sedes ejusdam Hohenembsiensium Comitum familiæ.

10°. Mons Solis seu Sonnenberga |: Sonnenburg :| Comitatus non procul à Rheno et Valle dulci ad orientem situs, Tyrolî ad occidentem, et Prætigoviæ Grisonum regioni ad Septentrionem. admodùm Montosus est.

Hujus nominis Comites jam à multis retrò sæculis in Austriâ domicilium suum stabilivêre. Ab iis Comitatus iste ad Comites de Werdenberg pervenit, à quibus Eberhardus de Waldpurg an. 1463. pro 30000. florenorum illum emit: cùm autem postmodùm ratione Summi Imperii lis ipsum inter et Domum Austriacam orta esset, hac traditâ eidem magnâ pecuniarum Summâ Comitatum hunc sibi proprium fecit. Hîc notatur

1°. Sonnenberga |: Sonnenburg :| Castrum in monte positum et ad Illam |: Ill :| flumen situm. Leucâ gallicâ ad Austrum à Blumeneco, et duobus ad Orientem à Valle dulci.

2°. Bludentium |: Bludenz :| urbs exigua sed va-

nusta Caput Comitatûs. Seculo proterito bis vel ter flammis casualibus combusta fuit. PP. Capucini extrà idius muros habent Coenobium, quod vix absolutum an. 1651. Calendis Martii incendio consumtum est, sed statim restauratum eodem adhuc anno 28. Augusti ab Ordinariis loci conservatum fuit.

Regio, quam Comitatus hic occupat, Walgovia nuncupatur, quam Illa |: Ill :| fluvius perfluit, ac postmodùm haud procul à Veldkirchio Rheno immergitur.

iii.° Vallis Montafuna |: Montafúnovs Thal :| sita est in confiniis Prætigoja |: Prettigaú :| grisonum provinciæ, quæ ipsi Australis est; ad duo circiter milliaria protenditur. Nomen habet à monte, qui Montafunus vocatur, estque pars Rhætici montis: in eo Illa scaturit, quæ Vallem hanc perfluens fluvientum versùs eurum Sunum dirigit, et ad cujus utrumque latus varii Vici numerantur. Colonum hujus Vallis incola passim malè audiunt.

§. VII.

De Briogoja Austriacâ.

Brisgoja, Brisegavia, Brisachgovia, Brisgovia, Bresgovia |: Brissgaú, Brissgaw, Brissgow, Brissgow, Brissgowr, Brisichgowr :| pulchra et admodùm fertilis, et omnium fermè rerum ad vitæ necessitatem et commodum comparatarum abundantiâ percelebris regio ita, ut totius Sueviæ imò Germaniæ paradisus esse videatur.

Limites habet ad Orientem Dominium Fürstenbergium in Sylvâ Nigrâ; ad Austrum Urbes Sylvestres; ad Occidentem Rhenum, qui illam ab Alsatiâ separat; et ad Septentrionem Ortenaviam.

Olim provincia hæc divisa fuit in Landgraviatum Brisacensem et Comitatum Friburgensem. Marchiones Badenses Landgraviatum Brisacensem possederunt; et Agnes Berchtoldi V. Ducis Zaringiæ filia ~~Caporiniæ~~. Comiti Fürstenbergio nupta ad ipsius familiam Comitatum Friburgensem attulit an. Chr. 1218. Modò tota provincia Domui Austriacæ paret, si quidam, cæpto satis ampla Dominia ad Marchionem Badensem et alios pertinen-

tia, quæ nos alibi jam expendimus, emipiantur.

Longitudo ejus à Septentrione ad Austrum est 16. circiter Leucarum Gallicarum, et maxima latitudo tredecim.

In triginta annorum bello, ut et in eo, quod an. 1672. exortum est, et Luneburgicum à nomine Gallici Bellicis Ritum est, Galli Austriacos ex hac provinciâ deturbare conati sunt: verùm pace confirmâ iisdem semper restituta fuit. Occurrit hîc

1º. Trimontium |: Friburg :| Urbs angusta; de qua supra, ubi nobis de Superiori Hohenbergensi Comitatu sermo fuit, disseruimus S. III. n. 1º.

2º. Waldkirchia |: Waldkirch :| Urbs parva in Heruniâ Sylvâ ad Elzeam |: Elz :| fluvium sita 6. fere Leucis Gallicis à Trimontio, versùs Occidentem à Trimontio, et tribus ad Septentrionem à Friburgo. In triginta annorum bello Galli eam occupaverunt, ac primùm an. 1648. in pace Westphalicâ illam Domui Austriacæ restituerunt.

In ea est celebre Canonicorum Sæcularium Collegium. Olim et à primâ suâ fundatione fuit Monasterium Ordinis S. Benedicti Monachorum fundatum à Burchardo Alemannicarum provinciarum Duce; quibus sæculo X. ejusdem Ordinis Moniales succesêre, quæ postmodùm exacto Regulæ S. Benedicti jugo Canonicæ Sæculares factæ sunt. Denique an. 1434. per Julium Cardinalem Legatum Apostolicum in Comitiis Basileensi annuente Sigismundo Imperatore Canonicorum Sæcularium Collegium factum est. Inter hujus Collegii Præpositos maximè celebratur Balthasarus Merecklin J. U. D. ac Imperii Vice Cancellarius, qui an. 1529. ad instantiam Imperatoris Caroli V. Episcopus Constantiensis creatus est. Obiit Trevirîs an. 1531. 52. annos natus.

Leucâ Gallicâ versùs Austrum ab hac Urbe occurrit Vallis Clotera |: Clotre-Thal :| ubi Thermæ sunt Febrosis, Ictericis, et Hydropicis, quod ajunt, salubres.

3º. Cella S. Mariæ |: Sanct-Marien Zell; vulgò St. Morgen :| Canonicorum Regularium S. Augustini in Nigrâ olim Martianâ Sylvâ Monasterium, Leucâ Gallicâ ad Orientem à Benedictino S. Petri Monasterio, et quinque ad Orientem à Friburgo distitum. Fundatum perhibetur an. 1120. à Brunone de

Hohenberg Cathedralis Ecclesiæ Argentinensis Præpositâ, et an. 1125. ab Honorio Papa II. confirmatum. Tandem temporum et hominum injuriâ celebre Monasterium hoc penè ad initas redactum an. Chr. 1370. alii cuidam ejusdem Ordinis Omnium Sanctorum Friburgi Cœnobio subiit temporis pariter variis calamitatibus afflicto et penè collapso auctoritate Henrici Constantiensis Episcopi annexum, et, ut ajunt, incorporatum fuit.

Anno 1430. hoc S. Maria Cœnobium cum omni supellectili sacrâ aquè ac profanâ totum in cineres abiit; cumque per 30. annos in busto suo quasi consepultum jacuisset, illud Abbas Joannes V. de consensu Capituli sui, cum queisvis attinentiis ac bonis etiam immobilibus S. P. Q. Friburgensi plenariè divendidit pro summa 4800. florenorum; qui tamen ab emtoribus vel posteris eorum illis, quibus debebantur, nunquam numerati fuerunt seu persoluti. Hinc sequentes Abbates contractum hunc multis scatentem vitiis pro viribus impugnârunt; ac tandem apud Judices ès rem perduxerunt, ut post aliquot Sæculorum seriem, non modò fundum Monasterii sui, sed et bona, si non omnia, saltem aliqua eaque non contemnenda à Friburgensibus recuperent; undè et hoc adhuc sæculo in eodem fundo Monasterium et Templum recèns ædificârunt, in quo nunc Laudabiliter et piè Deo Serviunt.

4ᵒ S. Petri /: Ft. Hetrx :/ Celeberrimum Ordinis S. Benedicti Monasterium in Hercinia Sylvâ Situm tribus milliariis communibus ad Orientem à Friburgo.

Fundatum perhibetur an. ch. 1093. à Berchtoldo II. Zaringiæ dehinc Alemanniæ Duce, et à Beato Gebhardo ejus fratre germano et Constantiensi Episcopo Sedisque Apostolicæ per Germaniam Legato conservatum.

Berchtoldus iste an. chr. 1111. diem Supremum obiisse dicitur. Uxorem habuit Agnetem Regis Arelatensis filiam. Ambo tumulati sunt in hujus Monasterii Templo ante Altare S. Crucis, ubi honestissimam sibi et Successoribus suis comparaverant Sepulturam.

Floret etiamnum adhuc vetustissimum hoc S. Petri Cœnobium, quamvis in Suecico et aliis, quæ secuta sunt Galliam inter et Imperium bellis continuis veluti hostium exactionibus terribiliter infestatum fuerit.

5º Guntherina Vallis |: Güntzbrod=Thal :| Celebre ac magnificum Nobilium Virginum Ordinis Cisterciensis Coenobium communiter Güntherthalense nuncupatum, in valle amoenissimâ situm leucâ gallica versùs Euronotum à Friburgo.

Exitatum perhibetur an. 1224. ejusque benefactores et Dotatores fuerunt Illustres Comites de Friburg, et Nobiles viri à Keppenbach, itemque nobiles de Blumeneck, de Klingenberg, aliique, quorum ibidem plurima et praclara sunt Mausolea. Prima illius Abbatissa fuit Adelheidis electa eodem anno 1224. quæ amplius quinquaginta ~~annos~~ quinque annos cum laude præfuit.

Anno 1480. in festo S. Mariæ Magdalenæ, Coenobium hoc ingenti aquarum inundatione penè submersum est, in eo quippe adeò stagnavit aqua, ut umbilicos tenus in peristilio, in Templo homines in eâ starent, è coemeterio sæpa sepulchralia abducta, ss. confugerunt Moniales in vicinam eodem, ubi in casâ rusticâ Deum et Sanctos precibus onerabant. Cessavit tandem malum, ipsaque Coenobium repetiêre.

Ante annos circiter veteris Monasterii ædificia nostrum à fundamentis exitatum fuit, quod magnificentiâ suâ vix uspiam alteri Sanctimonialium Asceterio cedere videtur, in quo piæ nobiles hæ virgines Deo laudabiliter serviunt.

6º Friburgum |: Freyburg, seu Freiburg :| Urbs vetusta et Caput Brisgojæ, olim validissimum propugnaculum ad Treisam fluvium sita in aditu Sylvæ Nigræ, 3. milliariis ad Orientem à Brisaco.

Ortum suum habere dicitur à Metallariis, qui Metallifodinas non procul abhinc extantis gratiâ quamplures domos ibidem sibi construxerunt, quæ Vicum effecerunt, quem an. 1118. vel 1120. Berchtoldus III. Zaringiæ Dux urbem fecit, juxtà hos versus, quorum memoria adhuc superest:

Anno millenis centeno bis quoque deno
Freyburg fundatur, Berchtoldus Dux dominatur.

Novam hanc Urbem etiam tot tantisque privi-

legiis et immunitatibus donavit, ut huc usque temporis Urbs municipalis esse detrectârit. Extinctis Zaringiæ Ducibus ad Comites Fürstenbergios an. 1218. ope matrimonii devoluta est; inter quos Egoni II. dissensio fuit cum civibus libertatem suam adversùs ipsum tuentibus. Comes suppetiis ab Episcopo Argentinensi acceptis Urbem aviter impugnavit, nec tamen quidquam obtinuit, nisi quòd an. 1293. transactis inita fuerit, vi cujus Urbi jus præsidii assertum fuit, Comitesque spopondarunt se adversùs illam nullum cum quoquam fœdus initueros, nec illius cives ad sua tribunalia tracturos. Postmodùm tamen Egon III. denuò simultates cum hac urbe gessit, et à civibus expulsus fuit, qui deinceps illimitatam Comitibus præstare obedientiam detrectarunt; mdò an. 1327. sine ipsorum præsidio cum aliis Urbibus, et an. 1350. cum Austriæ Ducibus adversùs Tigurinos idos fœdus iniisse legitur. Mortuo Friderico Comite Fürstenbergio Friburgenses filiæ ipsius Claræ, quæ Gozoni Comiti Palatino Tubingensi nupserat, se submiserunt, obmuntiavit quidam Egon IV. hujus Claræ patruus, idque effecit, ut post dictæ Claræ neptis ipsius mortem numeratâ quadam pecuniæ summâ Urbis dominium obtinuerit, sed an. 1368. ortâ ipsum inter et cives dissensione, hi illum exturbârunt, emisso, quod Urbi impendebat, ipsius Castro. Tandem eâ ratione lis inter eos composita fuit, ut Comes pro summâ 20000. Marcarum argenti totum, quod ipsi in illorum Urbem competebat, dominium civibus vendiderit; et quia Domus Austriaca has pecunias suppeditavit, hinc Friburgenses an. 1368. se illius dominatui subdiderunt.

Ubi autem Archidux Fridericus in Comitiis Constantiensi ab Imperatore Sigismundo proscriptus fuit, Urbs hæc Imperio adjuncta fuit; at postmodùm denuò eam recepit. Ab eo tempore semper Domui austriacæ ad hanc usque diem paruit.

In triginta annorum bello et sequentibus bellis Urbs multas exantlavit calamitates, noxque hostium noxque amicorum fuit. An. 1632. Sueci illam occupaverunt, quibus brevi post à Cæsareis erepta fuit. at an. 1634. et 1638. Sueci denuò bis illam obtinuerunt, penes quos mansit usque ad an. 1648.

quo pax ipsos inter et Imperium conclusa fuit. anno 1677.
Galli mediâ et rigidâ hyeme vel proditione vel pusillanimitate Præfecti illam subegerunt, atque subversis et exuris aliquot ipsius Suburbiis unacum omnibus ædificiis, et Religiosis, quæ in iis extabant, Domibus, tot tantisque munitionibus auxerunt, ut inter præstantissima totius Europæ propugnacula recenseri meruerit, duobus Castris, quæ eidem è monte imminebant, tertium iisdemque amplum addiderunt, eáque validis muramentis instruxerunt. An. 1697. in pace Risvicensi Domui Austriacæ restituta fuit. An. 1713. in Successionis Hispanicæ bello post duorum ferè mensium obsidionem Galli sub Duce Villarsio illam pactis conditionibus obtinuerunt, at anno 1715. post pacem Rastadiensem seu Badensem denuò ad Austriam rediit. Tandem an. 1744. in Successionis Austriacæ bello iidem Galli sub ipso Franciæ Rege Ludovico XV. post 45. dierum obsidionem illâ potiti sunt, ac postmodum penitùs illam demoliti fuerunt, adeò, ut modò muris omnibus nudata Vinum duntaxat referat: Castra verò eidem è monte imperiantia ita euiderunt, ut illorum nec minimum amplius appareat vestigium.

Friburgi residet Anteriorís Austriæ Dicasterium seu Regimen. Adest etiam celebris Universitas anno 1460. vel 1463. ab Archiduce Alberto fundata.

Hîc etiam videri meretur Templum principale ex lapidibus quadris constructum unacum pretioso campanili; quod Argentoratensi vix cedere videtur, nisi quod istud ad 574. pedes duntaxat in altum porrigatur, Argentoratense verò ad 574. à Duce Zaringiæ Conrado an. 1152. construi cœptum est.

Adsunt etiam varia utriusque sexûs Monasteria, ut Cœnobium Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini an. 1300. à nobili viro Ivone alias Joanne de Wald-Kirchio, seu Ammann de Wald-Kirch communiter appellato sub titulo et invocatione Omnium Sanctorum fundatum et constructum introductis in illud è Marbacensi in Alsatiâ Superiore Cœnobio ejusdem Instituti Religiosis; ipsæque Ivo Religionis hujus sumto habitu reliquum vitæ sub suavi obedientiæ jugo

in illo transegit, tandemque an. 1317. piè in Domino obiit posito ibi hoc Epitaphio:

Anno 1317. obiit Fro Dictus Amman de Waldkirch miles, hujus Collegii Fundator et Conversus.

Cùm verò Coenobium hoc more ab initio primæ Suæ fundationis ob magnas discordias et funesta bella inter Comitas Fürstenbergios et Cives Friburgenses agitata graviter admodùm periclitari coepisset, Speciali curæ Abbatis Creuzlingensis ab Eberhardo Episcopo Constantiensi tanquam loci Ordinario an. 1312. demandatum fuit. Denique anno 1370. cùm se solo et propriis viribus subsistere amplius haud valeret Abbatiæ Herciniana vulgò Cella Mariæ V. numeratæ, de qua supra n. 3 egimus, [illegible] eo temporis pariter agonizanti fuit additum et incorporatum; undè deinceps duobus istis Monasteriis unus duntaxat præfuit ac etiammum præest Antistes.

PP. Prædicatores Ordinis S. Dominici hîc etiam habent Conventum ab an. 1236. quo à quatuor Senatoribus et ametis Civibus annuente Rudolpho Urbis Plebano huc ad manendum vocati fuerunt.

Adsunt quoque PP. Eremitæ Augustiniani, quorum Ecclesia omnium, si principalem excipias, quæ in hac Urbe extant, facilè Speciosissima est. De istorum Conventu primâ et geminâ origine nihil certi scimus.

PP. Franciscani Friburgi etiam possident Monasterium an. 1226. fundatum. Illud primitùs incoluêre PP. Conventuales Ordinis S. Francisci usque ad an. 1515. tunc enim 6. Augusti autoritate Leonis Papæ X. et Maximiliani I. Imperatoris iis extrusis Strictioris Observantiæ Franciscani provinciæ Argentinensis in illud introducti fuerunt, qui in illo permanserunt usque ad an. 1580. tùm enim vicèns erecta PP. Minorum S. Francisci de Observantiâ Tyrolensi provinciæ adjectum fuit.

PP. Capucini hîc etiam habent Coenobium ab anno 1600.

Adest etiam Domicilium Ordinis S. Antonii primi Eremitæ, quod modò sequioris Sexûs personæ incolunt certâ Magistratui Urbis pecuniarum Summâ exhiberi solitâ, vocanturque Alumnæ S. Antonii, vulgò D.t Antoni Pfründtorinnen.

Item Domicilium Equestris Ordinis Teutonicorum. Adfuit etiam Domicilium Equitum Melitensium,

quod ubi anno 1677. Galli Urbe potiti sunt, eamque novis munitionibus augere coeperunt, unacum Suburbio, in quo situm erat, protinus unàcum aedificiis appertinentibus dirutum, et solo aequatum est.

Etiam PP. Ordinis S. Guilielmi Coenobium hîc habuerunt, qui, postquam Gadi an. 1677. Urbe potiti sunt, relicto Coenobio suo, ad proprium fundum suum pagum videlicet Oberriedensem 2. miliaribus ad Euronotum à Friburgo distantem demigrarunt, ibique novum sibi exstruxerunt Cauobiale Domicilium; in quo cum post initium Saeculi hujus disciplina et regularis observantia labascere coepisset, auctoritate Sedis Apostolicae et Imperatoris Caroli VI. illud Abbatiae San-Blasianae Ordinis S. Benedicti plenè adjectum fuit et incorporatum unacum illius Monachis, qui ex Guilielmitis facti sunt Benedictini. Adsunt quoque varia Cantonalium Ordinis Monialium Monasteria.

Jesuitae quoque Friburgi magnificum habent Collegium à Leopoldo Archiduce Austriae Episcopo Argentoratensi et Bataviensi an. 1628. in Urbem et Academiam introducti, in qua praeter humaniores Litteras, Philosophiam, Theologiam, Mathesin, Historiam, P. docent. modò adsunt etiam alionum Ordinum Professores, et Jesuitarum Ordo extinctus est.

Non procul ab hac Urbe, et in pede Montis, qui S. Joannis Baptista dicitur, [illegible] extat Carthusianorum Coenobium fundatum an. 1347. à Joanne Suealin aliàs Greyet appellato Urbis Consule,

7°. Zaringia |: Zähringen, Zähringen, et Zwingen:| vetustissimum et dirutum Castrum montanum unacum ejusdem "nominis" pago Semilenâ Galliâ ad Septentrionem à Friburgo dissitum. Mons, in quo Castrum positum erat, satis altus est, Castrum autem penitùs exisum est ita, ut ex eo nihil supersit, nisi turris cujusdam species. Illud Berchtoldus I. Dux Zaringiae propè ejusdem nominis Vicum Saeculo XI. exstitavit, fuitque Domus natalis celebrium veterum hujus nominis Ducum: in eo quippè veteres Comites, postmodum Duces Zaringiae, postquam Saeculo XII. ab eo nuncupari voluerunt, residere soliti sunt. Initio Ducatus iste Comitatus fuit, postèa Marggraviatus, et tandem Ducatus factus est per Brisgojam et Helvetiam porrectus. Horum Ducum Ultimus fuit Berchtoldus V. qui filiis suis superavit. Post ejus

mortem, quam an. 1218. subiit, ipsius Dominia divisa fuêre inter Comites Kyburgenses et Fürstenbergios. Ab horum Demum Stirpe genus ducunt Marchiones Badenses et Hochbergenses.

8°. Brisacum, Brisacus, Brisianus Mons |: Brisach, Borisach, Borgsach, et Alt=Borisach :| Urbs sita ad ripam Rheni Orientalem in cacumine seu superficie montis rotundi ad 60. orgyas in altum porecti, quatuor Leucis gallicis ad Occidentem à Friburgo, et totidem ad Septentrionem à Neoburgo, sub gr. Long. 29. m. 20. lat. 47. m. 59.

Abilla Brisgoja nomen suum habere videtur, undè et arbitrantur aliqui illam hujus provinciæ Metropolim fuisse.

Circà illius originem Scriptores memorant Imperatorem Marcum Aurelium Probum Sevitis an. Chr. 286. Alemannis, omniqúe Rhenum inter et Nicrum collocatâ Legione in Provinciam redactâ, ad Rheni ripam multa propugnacula erexisse; et post ipsum Imperatorem Valentinianum I. qui ab an. Chr. 364. usque ad an. 375. Imperium moderatus est, juxtà eundem annem plus quàm 30. munimenta exstitisse, inter quæ utàique Brisacum fuit vel à Valentiniano vel ab Aurelio Probo exstitutum.

Tunc temporis propugnaculum hoc ad Cavam Rheni ripam, proinde in ea regione, quæ nunc Alsatia vocatur, collocatum erat; at ubi ante quamplurima Sæcula Rhenus cursum suum mutavit, illud ad Septentrionem suam ripam, et ea, quæ nunc est loco, transtulit: hujus rei clarum argumentum habetur ex Itinerario Antonini, et variis veterum Scriptorum testimoniis: præterea etiam prope ipsam Urbem versùs Orientem et alibi infrà illam aperta veteris hujus Rheni cursûs vestigia reperiuntur.

À centum, et quod excurrit, annis Urbs hæc semper valut omnium fere totius Europæ Urbium arte et naturâ munitissima fuit habita; undè et Sacri Romani Imperii pulvinar, et Germaniæ clavis nuncupata fuit. Verùm Succedentibus temporibus variam experta est Sortem: primùm, ut nos annotavimus, Romanorum fuit; ab iis ad Francos transiit, et quidem ad no-

bilem prosapiam Harlungorum seu Harlingorum. Ætate Ottonis I. Imperatoris, qui ab an. 936. usque ad an. 973. clavum Imperii tenuit, Comes Palatinus Eberhardus, qui ab Imperatore Carolo Magno genus duxisse dicitur, illam possedit, cùm autem ~~Ottoni~~ Imperatori infensus esset, hic eam obsedit ac obtinuit, necnon Imperii Urbem fecit. Fridericus Archiepiscopus Moguntinus è Ducibus Lotharingiæ eundem Ottonem, cum quo simultates gerebat, fugiens Brisacum, tractis ad suas partes civibus, velut ad commune perfugium illorum, qui contrà Deum et Imperatorem deliquerant, an. 953. se recepit. Sub Henrico II. qui ab an. 1001. usque ad an. 1024. rebus Imperii præfuit, Hermannus Sueviæ Dux Urbem hanc Stratagemate obtinuit adversùs Episcopos Basilecnsem et Argentinensem, qui illam tueri conabantur. Sæculo XIII. Otto IV. Imperator, rebus suis adversùs æmulum suum Fridericum II. in pejus vertentibus Brisacum se contulit, ubi, cùm illius milites Insolas inclementiùs et tanquam hostes infensissimi haberent, hi barbaram hanc illorum agendi rationem haud amplius perferre valentes conjectis die et horâ illos ferè omnes trucidârunt: tùm Imperator civium furori se subducens unacum domesticis suis Urbe exiit; quam postmodùm Bertoldo V. Zaringiæ Duci dono dedit, eo an. 1218. fatis functo illius possessionem cepit Episcopus Basiliensis, et ab Imperatore Friderico II. ipsius Investituram obtinuit. Anno 1268. Rudolphus Habspurgicus, cui cum Bertholdo Episcopo Basileensi ex Comitibus Fierretensibus |: Pfist: | simultates erant, Rhenum cum aliquot equitibus transnatato inopinanter illam adortus occupavit: verùm 1272. Imperator factus cum Henrico III. ejusdem Bertholdi Successore pacem iniit, acceptisque 900. Marcis argenti eidem Urbem hanc restituit. Postmodùm tamen ipsa demùm rediit ad Imperium, et penes illud permansit usque ad tempora Imperatoris Ludovici Bavari; hic enim, mortuo Friderico fulchro æmulo hoc, cum Ottone et Alberto Ducibus Austriacis pacem iniit pactis Ottoni in belli expensas 20000. florenorum, cujus Summæ loco quatuor Imperii Urbes eidem oppignoravit, Scaphusiam nempe, Rhenofeldam, Neoburgum et Tigurum:

at quia Tigurum ab Imperio divelli detrectabat, ejus loco eidem Brisacum dedit. Post obitum Ludovici Imperatoris Brisacenses arbitrati se ab ulteriori subjectione immunes fore, antiquam libertatem suam recuperare conati sunt; verùm Imperator Carolus IV. ejus in Imperio successor, illos Domui Austriacæ denuò subjecit. Anno 1469. vel 1470. Archidux Austriæ Sigismundus possessiones suas, quas in Brisgoiâ, Alsatia, et alibi habebat, unacum Brisaco Burgundiæ Duci Carolo pro quadam pecuniarum summâ oppignoravit, reservato tamen sibi redentionis, seu, ut ajunt, retrahitionis jure. At verò possessiones hæ haud diu sub ejus dominio fuêre; cùm enim Petrus de Hagenbach, quem iisdem præfecerat, subditos immaniter premeret, hi magnis precibus apud Archiducem Sigismundum institerunt, quò redempto pignore, illos ab hujus præfecti tyrannide liberaret: Anno igitur 1474. Duci Burgundiæ redhibita, quam pro emepto pignore capescendat, pecunia fuit, et quamvis, sub vano quidem prætextu, eam accipere renuisset, nihilominùs subditi ab ejus obedientiâ et dominatu recesserunt, Hagenbachius Brisaci à civibus captus, citatique adversùs ipsum coram viginti septem ad id delectis Judicibus institutâ, 9. Maji. ejusdem Anni capite damnatus est, tum Brisacum ad Domum Austriacam rediit, atque perscripsam permansit, validisque munitionibus augeri coepit.

In triginta annorum bello Urbs hæc multis calamitatibus pressa fuit: an. 1633. Comes Palatinus Joannes Philippus et Fridericus Marchio Badensis illam obsiderunt, at obsidionem solvere eos coegit Dux de Feriâ Hispanus. verùm an. 1638. Bernardus Dux Saxo-Weimariensis post quatuor mensium obsidionem seu potiùs circumclusionem mense Decembri illam obtinuit, annonæ penuriâ præsidium et cives sub Barone de Reinach illius Præfecto ad deditionem cogente. Sublato, ut ajunt, ope veneni an. 1639. è vivis Duce Bernardo, illius copiæ unacum Brisaco Regis Galliæ factæ sunt, atque sub illius stipendiis militare coepernnt. tum ejus jussu Urbi huic multa adhuc munitiones additæ fuerunt, penèque Gallos permansit usque ad an. 1700. quo vi pacis Ris-

vicensis an. 1697. concluso ad Austriacos rediit: at ubi Hispanicæ Successionis bellum exordia sumsit, tùm anno 1703. Dux Burgundiæ motis adeam 25. Augusti castris 6. Septembris, adeoque intrà duodenum dierum spatium, illam obtinuit. An. 1704. Cæsarei illam Stratagemate volentes interipere repulsi sunt. An. 1715. vi pacis Rastadiensis seu Badensis Domui Austriacæ restituta fuit. An. 1741. unus Successionis Austriacæ bellum sumsisset initia, jussu Reginæ Hungariæ modò Imperatricis, abductus ex eâ omni apparatu bellico munimentis nudata est. Anno 1744. advenientes gali, ~~quæ~~ quod munitionum erat residuum unacum ædificiis ad Reginam pertinentibus omninò pessumdederunt.

Brisaci fuit antehac insigne et opimis proventibus instructum Canonicorum Sæcularium Collegium cum propriâ suâ Ecclesiâ honoribus SS. Mauritii et Thebææ Legionis Martyrum dicatâ. Sed ubi anno 1648. vi pacis Westphalicæ Urbs hæc Gallorum Regi relicta fuit, tùm et Collegium istud sensim immutatum est, numerusque Canonicorum defecit, perpaucis olim Beneficiatis in illorum vicem substitutis. Collegiatam quondam hanc Ecclesiam satis illustrem reddunt corpora SS. Martyrum Gervasii et Protasii Mediolano per Reinoldum Comitem à Dassele Friderici I. Imperatoris Cancellarium et Coloniensem Archiepiscopum huc allata.

Adest etiam Cœnobium PP. Eremitarum Ordinis S. Augustini an. 1270. ex eleemosynis specialiter ad id collectis constructi cœptum. PP. Conventuales Ordinis S. Francisci etiam hîc habent Monasterium ipsi Sanctissimo Patri Seraphico consecratum, in quo humaniora docent: paucis abhinc annis novam, dirutâ vetere, Ecclesiam, eamque magnificam exstruxerunt. PP. Capucini quoque hîc habent Conventum ab Archiduce Austriæ Leopoldo Ferdinandi II. Imperatoris fratre germano fundatum, et suis sumtibus an. 1624. constructi cœptum, anno autem 1626. perfectum. Etiam ante annos aliquot hûc introducta fuerunt Moniales, quæ Congregationis dicuntur. Sequioris sexûs juventutem docent ea, quæ eandem nosse decet, at jam modò ad inopiam penè redacta incipiunt deficere.

9º Neoburgum [: Nöuburg :] Urbs exigua ad Denteram Rheni ripam posita Brisacum inter et Basileam, 4. leucis gallicis ad Austrum ab illo, et 5. ad aquilonem ab hac distans. Olim usque ad annum 1200. proprios habuit Comites; postmodùm facta est Urbs Imperialis; denique Saeculo XV. sub Austriacam dominationem venit. An. 1632. et 1634. in triginta annorum bello multis calamitatibus presa fuit; et tandem an. 1675. in bello Luxemburgico galli eam incenderunt et penitùs devastârunt, ut modò nonnisi pagum exhibeat. Nec etiam PP. Capucinorum Claustro, quod ibi ab an. 1615. extabat, parcitum fuit. Ipsi PP. Capucini partim Schliengam partim Stauffam in exilium profecti sunt, ac tandem Stauffa Coenobium exiit âerunt.

10º Heitersheimium [: Haitersheim :] Castrum amaenum Oppido sesqui leucâ gallicâ ad Occidentem à Stauffa positum, in quo Magnus Ordinis Equestris Melitensis per germaniam Magister seu Prior residere solet.

Olim amaenum octo eidem vicinis Pagis huic Ordini pro certâ pecuniae Summâ à Baronibus de Stauffen divenditum fuisse dicitur: alii memorant, Comum hunc tanquam Dominii Rotelnensis feudum ad nobiles de Schliengen pertinuisse, atque abiisse dicto Melitensium Equitum Ordini dono datum fuisse, quibus deinde Marggravii Hochbergenses Rotelnensis Marchionatûs Domini, ac nominatim Henricus III. qui ipsemet hunc Ordinem amplexus est, sub initium Saeculi XIV. jus feudi remisserunt ac condonârunt. An. 1675. Galli Castrum hoc et Oppidum incenderunt et devastarunt. An. 1615. PP. Capucini huc vocati, venire recusârunt, quorum tamen, ut fertur, hortatu, locum occupaverunt PP. Minores Ordinis S. Francisci Conventuales dicti, atque ibidem Coenobium exstruxerunt, quod ad hanc usque diem inhabitant.

11º Stauffa [: Stauffen :] Urbs angusta ad radicem Montanae Hercyniae et ripam Numagae [: Nümag :] fluvii posita, tribus milliaribus communibus ad Austrum à Friburgo. Extrà Urbis portam versus Occidentem prostat mons vinetis ab imo ad summum superbiens, in cujus vertice dirutae Castri rudera magnifici quondam palatii vestigia exhibent.

Olim proprios habuit Comites, quos ab Altenburgensibus posteà Habspurgicis genus duxisse ajunt, quorum ante 200. et ultrà annos prosapiâ extinctâ, Urbs hæc cum suo tractu et omnibus ad eam pertinentibus ad Domum Austriacam devoluta est, quæ circà initium præteriti Sæculi Baronibus posteà Comitibus de Schawenburg illam oppignoravit, retento sibi Supremo illius Dominio necnon redentionis seu relutionis jure: et ante triginta circiter annos* ab eadem Austriacâ Domo redempta fuit: tandem an. 1739. Abbati, modò Principi et Monasterio San-Blasiano sub feudi nomine cum toto suo tractu pro ingenti pecunia summâ divendita fuit.

* hæc an. 1760. scribimus

In bello, quod Succicum immediatè secutum est, Gallis bis Urbem hanc diripuerunt, anno videlicet 1676. et 1677. Ne ter incenderetur PP. Capucini, quorum aliqui, exuso, ut supra dictum, ipsorum Neoburgensi Cœnobio, hùc se receperant, precibus de genu ad incendiarios factis impetrârunt, Semelque jam incensam primi Siphonibus Situlisque incendiariis indemnem reddere properârunt; in qua et Monasterium obtinuerunt, cujus fabrica an. 1683. incepta anno 1685. perfecta fuit.

12° Kenzinga |: Rontzingen :| Urbs angusta municipalis ad dexteram Elzæ |: Eltz :| fluminis ripam, loco plano et amœno sita, milliari ad Africum ab Ettenheimio, et olim satis munita.

Primitùs nonnisi ingens Bagus fuit, in quo bina erant Ecclesiæ parochiales ad S. Georgium una, et ad S. Petrum altera, 400. circiter passibus versùs Orientem ab Elza disitus; quem an. 1326. Burcardus Baro de Usenberg seu Ysenburg* ad hujus fluminis ripam transtulit, et Urbem fecit muris, turribus, et fossâ munitam.

* Barones seu Comites de Usenberg, seu Ysenburg vel etiam Isenburg sedem habuêre propè Rubeacum Alsatiæ Superioris urbem. In eorum prosapiâ prodiêre Praesules et Archiepiscopi tùm Colonienses tùm Treverenses. Jam diu desierunt.

Jam pridem Urbs ista unam ei adhærente Jurisdictione, quæ Kienbergensis dicitur, Domûs Austriacæ facta est.

Anno 1638. 5. Octobris à copiis Bernardi Wimariensis Ducis expilata fuit, et munitiones ejus dirutæ et eversæ, illarumque materia Brisacum devecta. Postmodùm tamen denuò restauratæ fuerunt. An. 1675. mense Martio Gallis illam diripuerunt. An. 1702. post trium dierum obsidionem iisdem Gallis pactis conditionibus se dedidit,

CC. Franciscani Recollecti seu de Observantia Dicti provinciæ Tyrolensis hîc habent Cœnobium. Jam anno 1639. 23. Decembris in hac urbe sedem fixerant, undè tamen bellica devastationes eos excedere coegerunt: anno 1647. à Magistratu revocati fuerunt; ipsisque Monasterium conditum. an. 1654. 19. Julii Crux plantata fuit; an. 1659. 28. Maji Abbas Ettonianus primum Monasterii Lapidem posuit; et an. 1662. Suffraganeus Argentoratensis Gabriel Hang assistentibus tribus Prælatis Ettoniano, Schutterano, et Tennenbacensi illud unacum Templo hic consecravit: an. 1676. 3. Septembris bellum gallicum denuò Patres hos extrahavit, at brevi post redierunt, et hactenus isthîc loci subsistunt.

13º Quingentis circiter versùs Austrum à Kenzingâ passibus ad Sinistram Elzæ ripam extat nobile olim Sanctimonialium Ordinis Cisterciensis Cœnobium Wohnenthalense (: Wofnonthal :) Dictum.

Eidem initium dedisse ajunt quinque vel sex claris natalibus et perillustri stemmate procreatas virgines, quæ dotibus suis simul in unum collatis amore vitæ solitariæ posthac Salvatiore Dei obsequio transigendæ hîc novum quoddam auspicatæ fuerunt contubernium; quod successu temporis aliquâliter auctum tandem An. Chr. 1256. ad instantiam Rudolphi Comitis seu Baronis ab Usenburg ab Alexandro Papâ IV. Ordini Cisterciensium fuit additum et incorporatum. Prima illius Abbatissa fuit ejusdem Rudolphi Baronis seu Comitis Germana Soror.

Floret hodiedùm Cœnobium istud, non tam ab opulentiâ, ut quæ in illo deficiat, quàm ab incolentibus virginibus in omni vitæ sanctitate Deo servientibus illustre. Ante annos aliquot diuto vetere, quod ruinam omninò minabatur, Cœnobio, novum excitatum est non magnificum quidem sed satis commodum.

14º Endinga (: Ending, Endingen :) Urbs mediocris Leucâ gallicâ ad austrum à Kenzinga distans. Anno 1366. vel 1367. Friburgenses hippetias ferentibus Basileensibus, Brisacensibus, et Neoburgensibus, illam obsederunt; verùm Egon Comes Fürstenbergius eorum 1000. trucidatis urbem obsidione libera-

vit. Anno 1637. Bernardus Dux Wimariensis illam occupavit. Fuerunt in Brisgoja Nobiles, qui ab hac Urbe nomen habuerunt, et quorum prosapia circà medium praetenti Saeculi desiit. Endringa bina sunt Parochiales Ecclesia una ad S. Petrum, altera ad S. Martinum.

15° Monasterium S. Udalrici /: St Ulrich :/ in Sylvâ Hercinià Situm leucâ gallicâ ad Orientem à Staufâ, olim Ordinis Cluniacensis, et ab anno 1346. Abbatia S. Petri Ordinis S. Benedicti in Sylva Hercinia subiectum et incorporatum. Illius historiam ex Opere germanico, cui titulus: Vita et miracula S. Udalrici Confessoris Ordinis S. Benedicti Congregationis Cluniacensis et Monasterii SS. Apostolorum Petri et Pauli, nunc ab ipso S. Udalrici dicti in nigrâ Sylvâ primi Prioris p. à quodam S. Petri ~~de Panti~~ Monacho an. 1756. edito transumtam hîc breviter atteximus:

Saeculo XI. Sub Imperatore Henrico IV. qui ab an. 1056. usque ad an. 1106. Imperii rebus praefuit, et circà an. ch. 1072. fuit in Brisgojâ vir admodùm potens Hasso nomine, in Castro Rimesingo* non procul à Brisaco Sedem habens. Hic, cùm pole careret, à S. Hugone Abbate Cluniacensi Monachos petiit iis praedia et locum, in quo Monasterium excitarent, traditurus: illius petitioni annuens B. Hugo misit ad eum quosdam ex suis Discipulis, quos ille benignè suscepit, eisque non procul à Rimesingo Castro sua bonum assignavit, qui à circumquaque virentibus Sylvis et arvis germanicè Grüningen, velut viridans, appellatus est. Hîc ergo Cluniacenses Coenobium exitârunt, ad quos exactis quibusdam annis à B. Hugone missus est S. Udalricus noster**, ut Monasterio huic tanquam Prior praeesset. At cum locus iste ipsi haud satis solitarius videretur, eo relicto, desertum petiit, ac tandem in locum antiquitùs Cellam Dictum ab omni mundi tumultu remotum montibus spissisque silvis obsessum venit, ibique novum exitavit Coenobium, quod Statim Cella SS. Apostolorum Petri et Pauli, deindè Cella Villemanis nuncupatum fuit /: In Bibliothecâ Cluniacensi pag. 1742. Brioratus de Sellâ vocatur :/ qui postquam quamplurimis annis tanquam Prior praefuisset, sanctè, prout vixerat, obiit 30. Julii anno circiter 1093. in vitâ et

* Rimesingum /: Rimsingen :/ bini sunt hujus nominis pagi mille passibus à se invicem distantes, quorum unus Austrum tenet, ac Superior vocatur, alterum Septentrionem, et Inferior dicitur. In Superiori visitur adhuc vetus Castrum Sedes Hassonis nostri. uterque milliari versùs Orientem à Brisaco distat.

** Ajunt hunc S. Udalricum seu Ulricum genus duxisse à Comitibus Dillingensibus et Kyburgensibus Zaringiae Ducum consanguineis;

atque Ratisbonæ patre Bernoldo, quem aliqui Bernulphum vocant, circà an. 1015. natum fuisse. Juventutem exactâ in Aula Henrici III. Imperatoris aliquot annis degressus est. Tum Eulesiæ ministerio adscriptus, ac Friburgensis Cathedralis Eulesiæ Canonicus factus, peregrinationem in terram Sanctam suscepit, à qua Friburgum rediens abdicatis rebus omnibus Romam ad limina Apostolorum profectus est; indè Cluniacum veniens ibidem Monachum induit sub S. Hugone Abbate.

nyorte miraculis clarus nomen suum Monasterio relinquens, quod tamen primùm an. 1345. usurpare ac S. Udalrici Cœnobium dici cœpit.

Successores habuit Priores Cluniacenses Monachos usque ad annum 1846. tum enim temporum et hominum injuriâ Cœnobium hoc ad summam redactum paupertatem Monachique omnes Cluniacenses Joanni Kern Abbati S. Georgii in Sylvâ Nigrâ cesserunt, cujus possessionem, datâ ultimo Cluniacensi Priori Stephano Gaudino certâ quâdam pecuniæ summâ, ipse arripuit, quod tenuit usque ad an. 1860. quo 15. Augusti illud Joanni Erb Monasterii S. Petri in Sylvâ Nigrâ Abbati, acceptis ab ipso, quæ in illud fecerat expensis, tradidit, penes cujus successores ad hanc usque diem permansit; ac primùm an. 1741. Monasterium hoc seu Prioratus templumque ejus è fundamento magnis sumtibus recèns exstructa fuêre. Hîc officium divinum peragunt unus aut duo Monachi San-Petrini.

16º S. Trudperti [Fr. Trudpert:] Monasterium vetustissimum simul ac percelebre Ordinis S. Benedicti loco minimè insalubri ad Sylvam Herciniam inter altissimos montes situm quatuor leucis Gallicis ad Austrum à Friburgo.

Nomen accepit à S. Trudperto nobili Franco, qui circà an. Ch. 610. in Sylvam Herciniam venit, ut illius incolis Evangelium annuntiaret; ubi in ipsis Hercinia saltibus ac ditione cujusdam Ottoperti Comitis Altenburgensis, postèa Habspurgensis, prosapia ab impiis, quibus Salutem annuntiabat, occiditur. Id cum idem Ottoperius intellexisset, at ex miraculis, quæ ad ejus tumulum fiebant, illius innocentiam intellexisset, de sontibus sumto supplicio, Martyri honorificam sepulturam constituit, atque super eam Sacellum condidit, quod S. Trudperti vocatum. ab ipsius successoribus Comitibus in nobile Ordinis S. Benedicti Cœnobium commutatum fuit, quod S. Trudperti Monasterium dictum est, atque ad hanc usque diem floret.

17º Prioratus Todtmosianus [Todtmos:] celeberrimo ac Principali S. Blasii Monasterio adjectus et subditus, et ab eodem duabus leucis gallicis versùs Occidentem in colle prealtis montibus Sylvisque obsesto-

colloratus. Nomen accepit à palude ulvis refertâ et cœlum, in quo positus est, ambiente, quæ quòd olim tetrâ nephitè, quam in omnem latè regionem spargebat, nulli animalium non lethalis fuit, undè Palus seu Ulva mortifera |: Todtmoos :| appellata fuit.

Hùc anno chr. 1258. jubente, quod memorant, B.V. Mariâ illius lignea effigies allata fuit à quodam Barocho Richenbachensi nomine Theodorico, tùmque mox liberalitate Rudolphi Habspurgi et Alsatiæ Comitis ædicula in Templi formam enata est, et ab Everardo Constantiensi Episcopo dedicata et parochiali jure donata est an. 1268. Demùm à Leopoldo Austriaco an. 1319. laudato S. Blasii Monasterio donatione perpetuâ tradita fuit.

Crevit inter arbores etiam loci celebritas, factique, ut sub an. chr. 1628. vetus Templum, quod ad capiendam fidelium hùc confluentium multitudinem haud par esset, majus elegantiusque excitaretur, quod hodiedùm à pristinâ æstimatione non desiit.

Copiam gratiarum cœlestium, quæ Deus per intercessionem B.V. Mariæ fidelibus hùc impertitur, argunt anathemata magno numero per vastos Templi parietes suspensa, quæ præ aliis ob varitatem suam merentur admirationem.

18° S. Blasii Celeberrimum potentissimum, necnon ab aliquot annis Principali dignitate auctum Ordinis S. Benedicti Monasterium in Sylvâ Hercyniâ ad Albam |: Alb :| fluvium loco satis horrido inter proaltos saxosque montes et Sylvas situm duabus leucis gallicis ad Orientem à Prioratu Todtmoosiano, et quinque circiter ad Caurum à Valdusta |: Waldshut :|

Ortum suum debet veteribus quibusdam Christianis, qui sub finem Saculi III. vel initio IV. Diocletiani persecutionem fugientes, hùc se receperunt, ubi vitam anachoreticam agentes Deum laudibus celebrabant. Dis ùm S. Blasius Sebastæ in Cappadociâ Præsul, et sub Licinio Cæsare an. chr. 312. martyrio coronatus apparuisset, ac ad constantiam et mundi minarum contemtum adhortatus fuisset,

ejus monitis morem gesserunt, illumque patronum suum agnoscentes habitationem suam ab eo deinceps denominârunt.

Postquam igitur hoc modo per quadringentos et amplius annos Summâ humilitate et manuum labore vitam egissent, tandem Saeculo VII. longè latéque jam celebratum S. Benedicti Ordinem amplexi sibi Priorem elegerunt. Cùm autem postèa sub Ottone I. Imperatore, qui ab an. 936. usque ad an. 973. res Imperii moderatus est, Reginbertus Baro in Seldenbüren* Imperatori gratissimus, necnon ipsi ab arcanis consiliis, ac inter belli pericula fortis, in praelio quodam contrà Hungaros circà Augustam Vindelicorum an. 941. initum manu truncatus fuisset, proindè ad hujusmodi conflictus posthac minùs utilis foetus fuisset, totum se se Deo et Religioni tradere statuit. Perceptâ igitur San-Blasianorum Fratrum pia conversatione, repudiatâ militari et aulicâ vitâ se anno Chr. 945. ipsis junxit, suasque facultates eis penitùs addicens, novam Monasterii Structuram eamque amplam molitus est, quod, constituto illius primo Abbate Beringero, ex Prioratu Abbatia multarum opum accessione auta factum est, ac successu temporis majora semper sumsit incrementa, ita, ut modò inter opulentissima totius Germaniae Coenobia recenseri mereatur; cujus Abbatem antè aliquot annos Imperator Franciscus I. hodiè feliciter regnans inter S. R. I. Principes adoptavit.

* Seldenbüren Olim Castrum miliari ab Urbe Figurina distans.

Neque hîc silendum, quae de florentissimo hoc Asceterio alibi scriptum legimus, videlicet, quòd sint propriò semper, quod ajunt, natavit cortice, nec unquam peregrinos in Sedem suam admisit Praesules aut Abbates; ita Viros Illustres è suo gremio produxerit quamplurimos alienis Infulis ac Coenobiorum gubernaculis admotos, quorum triginta quinque et amplius numerantur, inter quos duo Episcopi Constantiensis et Basileensis fuerunt; caeteri variis Germaniae Monasteriis tanquam postulati Abbates profuerunt;

quidam etiam Sanctorum Albo inscribi meruerunt. * an. 1763. 23. Julii circa horam duodecimam pomeridianam in hoc amplissimo coenobio è fundamentis ante aliquot annos recens constructo ortum est incendium, quo inter quatuor horarum spatium totum in flammas abiit.

19°. Tribus Lenis gallicis ad Euronotum à Sancto Blasio extat in præalto sed jucundo monte Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti Monasterium Beraviense, à Beravio, qui inridet, monte sic dictum, et à Rustено Septimo San-Blasiano Abbate fundatum, constitutis Præposito ac uno alterove Monachis, qui sedulam et accuratam in temporalibus aequè ac Spiritualibus Sanctimonialiumque ipsarum simul et Parochianorum curam gererent. an. 1768. 25. Julii circa horam duodecimam

Monasterium istud bis incendii damna sensit, scilicet anno 1469. et 1663. ubi totum in flammas abiit, ac non sine magnis sumtibus reædificatum fuit. Veterum monumentorum à primâ conflagratione nihil superest præterquam Liber Missalis à Moniali quadam, cui nomen erat Angela sub annum circiter 1120. eleganti satis caractere in pergameno descriptus.

Ostenditur hîc etiam Sepulchrum devotissimæ cujusdam Claustralis Sororis Agnetis, quæ veterum more in artissimâ cellâ retrò Summum altare suâ Sponte inclusa, in stupendâ rerum divinarum contemplatione quasi jugiter detenta sat diu vixit, et usque ad extremum vitæ spiritum pientissimè duravit, quousque famâ Sanctitatis inclyta cœlis immigravit, anno Chr. 1498.

§. VIII.

De Civitatibus Sylvaticis et illarum Tractu.

Civitates Sylvaticæ [: Die Wald-Stätte :] juntà Rhenum ad Sylvam Nigram, à quâ nomen sortiuntur, inter Pagos Basilcensem et Scaphusianum, et è regione priorís sitæ sunt. Illarum Tractus utramque Rheni ripam occupat, et velut in quadro positus ad sex milliaria porrigitur.

Quatuor numerantur; nempè Rhenofelda, Sanctio, Lunsenburgum, et Valdruta, Suntque exigua reliquiæ illius Helvetiæ partis, quam olim Domus Habspurgica seu Austriaca posedit, cujus jugum initio sæculi XIV. famosâ illâ defectione Helvetii, quibus ipsa dominabatur, excussérunt.

Quotiescunque Domus Austriaca cum Borbonicâ bellum habuit, vi antiquarum conventionum Pagi Helvetici harum Urbium tutelam in se suscipere consuevêrunt: at in ultimo Successionis Austriacæ bello hoc suâ conventione stare haud opportunum rati, gelido velut animo permiserunt, ut Gali eandem Reginæ Hungariæ pro Duce Bavaria eripierent, Subditosque ad eidem fidelitatis juramentum præstandum adigerent: undè graves ejusdem Reginæ apud eosdem Pagos querelæ.

Ante paucos Monasterienses seu Westphalicam Galli has urbes occupaverunt, quas tamen vi dictæ pacis Domui Austriacæ manum suis Tractibus restituerunt. Singulas manum Tractibus suis expendere libet.

I.° Valdusta, Valdhusta, Waldshuta, Waldshutum, item Custodia Sylvæ, seu Sylva Custodia |: Waldshut, Waldtshut, Waldshutz: Valdshut, Waldshut, et Waldshuz :| Urbs Sylvaticarum minima ad dexteram Rheni ripam in Cletgoviâ penè è regione Ostii Arolæ |: Aar :| fluvii Rheno illabentis posita Basilæam inter et Scaphusiam, ab hac septem leucis gallicis sub Sylva Nigra promontorio, undè procul dubio nomen ejus derivatum est, sub grad. long. 29. m. 58. lat. 47. m. 28.

Si Graffero* fides, ante 700. circiter annos hic nemus venatoria fuit, donec Albertus III. Comes Habspurgicus cognomento Dives, qui primus inter Comites Habspurgicos Alsatiæ Landgravii titulum usurpavit, circà An. Chr. 1249. ibidem urbem exstruxit.

Anno 1468. Helvetii illam frustrà impugnârunt. an. 1638. Bernardus Dux Weimariensis illam oppugnavit. An. 1688. Gali illam occupavêrunt, nec desenerunt nisi acceptâ pecuniæ summâ expilationis etiamnùm redemptionis pretio. Quamdiu et quoties Gali Friburgo potiti sunt, anteriorís Austriæ Dicasterium seu Regimen Valdustæ sedit; in ultimo tamen Successionis Austriacæ bello, ubi Gali pro Imperatore Carolo VII. Bavaro urbem hanc tenuêre, tunc memoratum Regimen Klingenauviam Helvetiæ urbem ad Arolam, leucis gallicis trans Rhenum à Valdustâ sitam se recepit.

* Grafferus natus Basileæ an. 1679. 21. martii, vir eruditus, scripsit inter alia Itinerarium historico-criticum.

Anno 1726. incendium passa est, quo quadraginta domus unamum Civitatis Curiâ et innumeris documentis perierunt. Patres Capucini in ea habent Coenobium, cujus Ecclesiam an. 1689. die 7. Septembris Episcopus Constantiensis consecravit.

2°. Lauffenburgum seu Lauffenburga /: Laufenburg, Laufenburg, Laufenburg, et Loufenburg :/ Urbs Valdestam inter et Sanctionem posita quatuor fermè leucis gallicis ad Occidentem ab illâ, et tribus fermè ad Orientem ab istâ. Rhenus illam perfluit, ac in binas partes inaequales dividit, quae ponte supra Rhenum strato junguntur. Major Urbis pars ad Sinistram Rheni ripam et in finibus Rauracorum posita est, necnon in Spiritualibus et rebus Ecclesiasticis Episcopo Basileensi subditur; pars altera ad Dexteram hujus fluminis ripam et in Catena Sylva Nigra collocatata Episcopo Constantiensi in Spiritualibus paret: medium pontis Sacellum occupat utriusque Diocesis confinitimum.

Nomen à Rheni cursu et fastigiato intra transrhenanam Urbis partem monte, in quo extant veteris Castri ruderа, auspisse videtur. Rhenus ibidem paulò infrà pontem inter saxa horrida depressus terribili stridore et susurro praeceps ruit, necnon undique coarctatus et ubique illidens vel ipsa Charybdi Scillâque sortiorem se exhibet.

Urbs haec antiqua est, olimque celebris admodùm fuit, jure monetandi, aliisque privilegiis, opulentiâ et autoritate praestitit, ustrinis quoque anariis, Chartariis et aliis quaestuosis Officinis maximos proventus eidem conferentibus.

Illam jam saeculo V. extitisse memoriâ proditum est, eminverò cum sub regno Clodovaei Francorum Regis, qui ab an. 481. usque ad an. 511. quo 28. Novembris mortuus est, à Comite quodam S. Fridolino Rauracorum Apostolo et à se Sanctione constanto Virginum Coenobio donatam fuisse vetera monumenta compertum facere videntur. Postmodùm ab ejusdem Coenobii Abbatissâ quadam Urbs haec sub feudi titulo alienata fuit; eminvers sub Imperio Friderici I. Anobardi, qui ab an. 1152. usque ad an. 1190. rebus Imperii praefuit, Huitoldus Rapens-

4 Francis impe-
ravit,

pezza Baro, vel, ut alii volunt, Godefridus Baro de Staufen illam velut istius Coenobii fundum possedit, à quo per ejus filiam ad Rudolphum Comitem Habspurgicum cognomento Tauturnum, qui eidem nupserat, pervenit, et inde ad Domum Austriacam, penes quam adhuc est.

Anno 1343. aquarum inundatione Lauffenburga multùm afflicta fuit, pontique, qui sublicius erat, abductus. An. 1350. fulminis ictu penè tota in flammas abiit. An. 1443. à Bernatibus, Basileensibus, et Solodorensibus obsessa fuit, sed intervenientibus Friderico Episcopo Basileensi, et Joanne Comite de Thierstein ab eâ recesserunt. An. 1468. Carolo Burgundiæ Duci cognomento audaci oppignorata fuit. An. 1479. 120. ædes in ea perierunt incendio. An. 1480. et 1497. aquæ inundatio pontem abduxit, qui an. 1941. lapideus factus est. In bello Suevico an. 1499. propè eam Helvetios inter et Suevos velitationes actæ sunt. In triginta annorum bello an. 1638. Sueci illam oppugnârunt, quæ in pace Westphalicâ Domui Austriacæ restituta fuit. In ultimo Successionis Austriacæ bello à gallis pro Carolo VII. Imperatore Bavaro occupata fuit.

Patres Capucini extrà muros habent Coenobium, quod an. 1680. die 4. Aprilis unanum Templo suo dedicatum fuit à Thoma Henrici Episcopo Chrysopolitano et Basiliensis Antistitis Suffraganeo celebris Operis, cui titulus: Anatomia Confessionis Augustanæ Autore. Hîc celebris est Salmonum adverso flumine natantium piscatio.

3°. Sanctio, Saconium, Saconium, Seconium, et Seckinga ℔: Brettingum:/ Urbs exigua ad Dextram Rheni ripam, quæ ponte sublicio Sinistræ jungitur, sita tribus leucis gallicis ad Occidentem à Lauffenburgo.

Olim urbs hæc insulam à Rheno factam occupabat; verùm tractu temporis Rheni ramus, qui ab unâ ejusdem fluminis ripâ divertens paulò inferiùs in illam revertebatur, exsiccato, insula esse desiit.

Creditur Urbs hæc nomen habere à Sequanis, qui Rauracis ad Sinistram Rheni ripam sedes habentibus, Saulis IV. V. et VI. quo tempore ipsa ortum sumsit, promulubisanensi fuerunt.

Anno 938. Hungari propè Seckingam à Basileen-
sibus et Frisoviensibus Duce Hemmingero potentes Re-
gionis hujus viros noctu intercepti ingentem aecepêre
cladem. An. 1272. in flammas abiit. an. 1343.
Rheni emundatione pons illius abruptus fuit, et aliàs
eidem grave damnum illatum, an. 1448. Helve-
tii frustrà idam obsederunt. An. 1634. Sueci, an.
1638. Bernardo Duci Wimariensi, et an. 1639. Ba-
varis se dedidit.

In ea est Nobilium Virginum et Canonissarum
Collegium à S. Fridolino, quam Regio Scotorum et
Hiberonorum Sanguine provenatum ferunt, sub Clo-
dovaeo Francorum Rege circà an. 490. vel 495. pro
octo Virginibus et quatuor Canonicis fundatum.

Quidam volunt, has Nobiles Virgines, ubi S. Bene-
dicti Ordo per totam Europam florere coepisset,
illum amplexas fuisse, ac postmodùm, illo relicto,
Secularis Canonissas factas esse. Hujus Colle-
gii Abbatissa S. R. I. Princeps creata est an. 1307.
ab Imperatore Alberto I. Austriaco. Tutores
habet Principes Austriacos ab an. 1180. quo Fri-
dericus I. Imperator Alberto Ducis Comiti Habs-
purgico illius advocatiam tradidit.

Extra Urbem extat Monasterium Monialium
Tertiae S. Francisci Regulae emitatum à quodam Urbis
hujus Cive Joanne Heelblingo, qui locum duabus
suis filiabus Annae videlicet et Margaridi piis mul-
lis habitandum dedit, ubi ipsae an. 1340. Monasticam
congregationem inchoârunt.

4to. Rhenofelda, velut Rheni Campus [Rhein-
felden:] Urbs mediocris ad Sinistrum et australe Rhe-
ni littus in finibus Rauracorum et Fricandiae sita
tribus lemis gallicis ad Occidentem à Seckingâ et toti-
dem ad Orientem à Basileâ.

Eidem olim imperârunt Comites Frikovienses
seu Frikenses, postèa ab illâ Rhenofeldenses dicti.
Ab his ad Saringiae Duces pervenit, quorum stirpe an.
1218. in Berchtoldo V. extinctâ, Urbs hoc Imperio, Ca-
strum verò quorundam Comitum Sedes Rudolpho
Habspurgico cessit. Centum post annis Rhenofel-
da Domui Austriae oppignorata fuit ab Imperatore
Ludovico Bavaro, et an. 1323. ab eodem repignerata.

Exin an. 1444 ab Alberto Austriaco armis sollicitata, et ab eidem contiguo Castro aeriter impugnata, sed non expugnata fuit: tandem post plura certamina, velitationes, mutuasque hostilitates, per Joannem de Rechberg, et Thomam de Falkenstein Stratagemate capta et Domui Austriacae asserta fuit, cui hodie usque paret.

A quo ac quando Urbs haec exitata fuerit hactenus incompertum fuit: bina duntaxat sunt illius portae una, quae Rheni, altera quae Seckingensis nuncupatur. Ante Successionis Austriacae bellum partibus retrò vetèri partim arte novâ utcunque munita erat; eique imminebat Castrum Stein, id est, Saxum versatum in rupe eminenti undique Rheni aquis obsessa ac Insulae speciem referente positum.

In triginta annorum bello Rhenofelda multis calamitatibus pressa fuit; modòque hostium modò amicorum fuit, tandem ubi an. 1638. Bolemarcha Austriacus Joannes de Werth non procul ab ea à Sueuis caesus et captus fuit, tùm et Urbem obtinuerunt, quae primùm post pacem Westphalicam Domui Austriacae redditа fuit. Anno 1678. Gabi illam intercipere tentârunt, at malè omninò ipsis res cessit, ac quamplurimis suorum detrimentatis recedere compulsi fuerunt. In Successionis Austriacae bello iidem Gabi pro Imperatore Bavaro Carolo VII. illam oppugnarunt, at brevi post omnibus suis undatam minimentis, Pontisque, quod ei è rupe impendebat, Castro, illam desenserunt. Anno 1748. circà horam vespertinam inter fulgura et tonitrua ruptis veluti coeli cataractis è vicino monte aqua summo impetu et horribili stridore prorumpentes omnibus, quae circà illam erant, domibus et molendinis habitatis unam hominibus et jumentis in illis entantibus sublatis et submersis urbi ipsi ingregerunt, atque vix non muros supergressae, eidem ultimum exitium minitari visae sunt.

Adest Rhenofeldae Ecclesia Collegiata, quae simul parochialis est S. Martino Turonensi Episcopo Sacra. Primùm et ab origine suâ parochialis duntaxat fuit, indè verò censibus et uberioribus

reditibus admodùm dotata et aucta promovente loci Ordinario Henrico II. Comita Thunensi Episcopo Basileensi sub an. 1228. titulum et dignitatem Collegiatæ promerit: vetustum tamen quoddam monumentum seu protocollum domesticum id factum memorat sub Henrico III. è Comitibus Neoburgensibus Basiliensi itidem Episcopo XLV. qui ab an. 1263. usque ad an. 1274. Infulam Basileensem tenuit. Olim in eâ prætor quatuor Sacellanos modernùm numerabantur Canonici, quos postmodùm variorum bellorum et haresum injuriæ ad seu, et tres Sacellanos redegerunt.

Patres Capucini hîc quoque ~~[illegible]~~ Conventum habent ab an. 1596. quo angularis illius Lapis positus fuit, Structura verò anno 1598. completa, et 28. octobris ejusdem anni Templum consecratum. Verùm anno 1634. Rhingravius Urbem obsessurus, in festo Exaltationis S. Crucis sub mediam noctem Cœnobium hoc, quod extrà Urbis muros situm erat, incendi jussit. Postmodùm an. 1688. intrà Urbis mœnia novum extrui cœpit, quod an. 1697. unacum Templo finitum et completum Laudati Patres intrârunt, et ad hanc usque diem tenent.

Rhenofelda adest Præfectura Regimini Anterioris Austriæ Friburgi residenti subordinata. Hanc Lunsfenburgo, Frickgaudia, cæterisque locis jus dicit.

5.o Benkenmm |: Bruchom seu Büchom :| Equestris Teutonici Ordinis pinque Domicilium, seu, ut ajunt, Commenda, mediâ lenâ gallicâ ad partem Rheni Denteram seu Septentrionalem posita. à Rhenofeldâ Olim fuit Castrum, quod Imperator Fridericus II. Sæculo XIII. unacum suis attinentibus eidem Equestri Ordini dono dedit.

6.o Frickorium |: Frick :| Oppidum duabus leucis gallicis à Seckingâ dissitum. Nomen tribuit satis amplo valli, qua ab ipso Vallis Frickovia seu Frickgaudia |: Frick-Thal seu Frickgaw :| vocatur. Anno 1388. Bernates in eam fecerunt excursionem, actâque prædâ non recesserunt: An. 1689. in Comitiis Ba-

Iena Helvetiæ Urbe celebratis De hujus valdis renditione aut oppignoratione Pagis Helveticis faciendâ equidem actum est, id autem effectum haud sortitum est. In hac valle copiosa sunt ferri fodinæ, ita, ut tredecim officinæ ferrariæ in ea haberi possint.

7°. Olsperga (: Ológnorg:) Monasterium Nobilium Ordinis Cisterciensis Monialium mediâ Lucâ gallicâ ad austrum à Rhenofeldâ versùs territorium Basileense situm. À quo fundatum fuerit hactenùs mansit ignotum. Vetera tamen monumenta produnt, illud olim Moniales Benedictinas incoluisse, easque an. 1171. vel, ut alii volunt, an. 1250. Ordinem Cisterciensem amplexas fuisse. Repetitis vicibus in cineres redactum fuit hoc Cœnobium, et an. 1525. in Rusticorum bello ab ipsis expilatum et devastatum fuit adeò, ut per 26. annos desertum jacuerit. Postmodùm tamen restauratum fuit, modoque floret sub Visitatione et directione Abbatis Tennenbacensis seu Portæ Cœli.

GROSSHERZOGL. BIBLIOTHEK KARLSRUHE

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

D

226 B. + num 1 Bl. 35x21,5cm

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

A B C D E F G H I J K L M N Focus O Balance Q R S T U V
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 W X Y Z
Copyright 4/1999 YxyMaster GmbH www.yxymaster.com
VierFarbSelector Standard* - Euroskala Offset

35x21,5cm